

HARMONIA
COELESTIVM CORPO-
rum & humanorum, Dialogis vn-
decim astronomicè & medi-
cè per Anton. Mizaldum
Monlucianum ela-
borata, & de-
monstra-
ta.


AD ANTONIVM OLIVARIVM
LUMBARIENSIVM ANTI-
STITEM EXIMIVM.

LVTETIÆ,

*Apud Iacobum Keruer, Via Iacobæa,
sub duobus Gallis.*

M. D. LV.

CVM PRIVILEGIO
REGIS.



SENTENTIA PRIVILEGII.

CAVTVM est regia sanctione,
ne quispiam alius præter Iacobum
Keruer, hanc Harmoniam coele-
stium corporum & humanorum, Dialogis
Undecim astronomicè & medicè per Anto-
nium Mizaldum Montucianum elabora-
tam & demonstratam, intra quinquennium,
absque manifesto auctoris consensu imprimat:
aut alibi impressam, sub Regis ditione ven-
dat ac distrahat. Qui secus fecerit, libris &
pœna in sanctione æstimata multabitur.
Concessum fuit privilegium Lutetiæ Parisio-
rum, anno Christi 1550, quarto Nonas
Ianuarij. Subsignabat

Buyer.

ORNATISSI-

MO VIRO, ANTONIO

Olinario, Lumbariensium Antistiti

eximio, Antonius Mizaldus

Monlucianus

S.P.D.



QVIDEM in ea
semper fui senten-
tia, ornatissime i-
demque humanif-
sime Antistes, vt fœ-
lices eos existima-
uerim, quibus per

fortunæ clementiam concessum est
bene de se merentibus parem gra-
tiam remetiri : fœlicissimos rursùm
eos, quibus vt libet, ita licet accepta
beneficia cum fœnore aliquo repen-
dere. Quæ duo quum hæctenus mihi
deesse cognoscerem, & iugi medita-
tione mecum repeterem, quantùm
pietas tua in me, nihil tale promeri-
tum, contulisset : circumspiceremque
quonam modo significationem ali-
quam, grati saltem & memoris animi

A ij

EPISTOLA

tibi exhiberem, neque in tanta fortunarum mearum tenuitate quidquam occurreret, quod vlla ex parte, non dicam tuis meritis, sed ne quidem animo meo, vel tantillum responderet: tandem visum fuit quosdam imitari homines, non rusticos, inquam (qui modò flosculo quopiam insigni, modò eleganti auicula, nunc caseolo, aliàs pisciculis, quandoque pomis & nucibus, aut alio simili simbolo, voluntatis suæ propensionem iis testificari solēt, quibus sunt obertati) sed plebeios & pauperculos: qui cum suis creditoribus ob rei familiaris angustiam soluendo esse non possint, sponsores illis vltro adducunt. In istorum itaque fragili nauicula cum vëto sinistro me quoq; hodie nauigare intelligerē, tantisper dum fortuna, imò verò Minerva blandiùs afflaret, meritorum erga me tuorum spōsores duos, *ÆSCVLAPIVM & VRANIAM*, tibi candidè proferre non sum veritus. Hos, nisi valde fallor, gratissimos habiturus es: vel ob id vnum, quòd illustrissimæ *OLIVARIORVM*

genti familiares semper fuerunt, ac dilecti. Si quando illos ante tuum conspectum, animi gratia, prodire patieris, de rebus cœli & medicinæ, fortassis non ineptè, colloqui obseruabis: atque ex mutuo eorū colloquio, harmoniam quæ humano corpori cum cœlis est communis, pro insigni tua eruditione facilè iudicabis: agnoscesque Dei Opt. Max. sapientiam, virtutem ac prouidentiam in utroque corpore, cœlesti, inquam, & humano, æqualem (vt noster habet Galenus) per omnia relucere. Vale doctissime atque humanissime Antistes, & Mizaldum tuum, siquidem dignum ducis, amare perge: tibi que persuade illum & studio, & officio, apud te cessurum nemini. Lutetiæ Parisiorum, pridie natalis B. Ioannis Baptistæ. 1555.

A ij

ORONTII FINAEI LVETETIAE
Regii Mathematicarum professoris & illustrato-
ris, in ἀνθοποιούρου ANTONII
MIZALDI, ἀναφθέμια
ad candidum Le-
ctorem.

Quantumcūq; voles, Lector, mirare labores
Herculis: est sanè quod magè suspiciam.
Quantumcūq; voles, septem miracula mūdi
Mirare: est sanè quod magè suspiciam.
Quantūcunq; voles, hortos mirare superbos
Hesperidū: est sanè quod magè suspiciam.
Suspicio & miror nostro cū corpore, summis
Quidquid inest cœlis nocte, dièq; geri.
Suspicio & miror cœlos in corpore viuo
Claudi: MIZALDO, si petis, artifice.
Suspicio & miror suprema latère sub imis:
Et contrà: paucis vt liber iste docet.
Qui, si conciliat viuentia corpora cœlis;
Nun menteis poterit conciliare sibi?

VIRESCIT VVLNERE
VIRTVS.

HARMONIA COELE-
stium corporum & humanorum, undecim
Dialogis medicè & astronomicè per
Antonium Mizaldum Monlu-
cianum elaborata & de-
monstrata.



Dialogus primus, qui veluti parasce-
 ue quædam est ad præsentem har-
 moniam. Collocutores sunt Æscu-
 lapius & Vrania.

ÆSCVLAPIVS.

VID ita properas, Vrania, tanto
 sudore diffluens, & vix respirans?

VRANIA. Opportune tu qui-
 dem ò Æsculapi, opportune, inquam, nam
 ad te ibam. **ÆSCVL.** Hem, magnum
 aliquid esse oportet ac serium: neque enim cœ-
 los tuos temere relinquis: quare, paucis (obse-
 cro) mihi expedi quid nouæ rei emerferit.
VRAN. Dicam breuiter & apertè. Pa-
 truus ille tuus Mercurius deos omneis cœle-
 steis hodie in consilium coegit: quibus facun-
 dè (vt solet omnia) exposuit, se tribus orbis

A iij

terrarum partibus ex illorum mandato peragratis, inuenisse omnes penè mortaliū res summe afflictas, turbatas & exagitas esse: vniuersumque microcosmum ferro, igni, prædæ, rapinis, dolis & inenarrabilibus malis expositū esse: periclitarique ne breui etiam fame ac peste totus exhauriatur, ni à macrocosmo maturè illi auxiliares radij affulserit.

AE S C. Miranda hercle, imò verò miseranda potius mihi narras Vrania: à qua & peto & expecto quid super ea re in diuino illo coetu decretum fuerit. V R A N. Ibi diuūmque, hominūmque potestas Iupiter Opt. Max. auus tuus ad omnes deorum ordines conuersus, dicite (inquit) ô superi, per vestra omnium numina, dicite vnde hodie tam turbulentus ac inquietus hominum status? Dicite quis tam grauis morbus mortaleis inuasit, vt sui compotes esse non possint? Ad hæc vnus aliquis ex tempore respondit capita eorum laborare: & ob deprauatam phantasiam delirium pati: proindeque pessimè ratiocinari ac intelligere: sensusque ac motus à capite pendentes ob id errare. Alter censuit non solum capita, sed & corda etiam affici: in quibus irarum, discordiarum, ambitionum & furorum latent seminaria. Alius in he-

pate vitium esse pronuntiauit: in quo concu-
 piscentia & appetituum est sedes. Nonnulli
 contra, vniuersum corpus valde egrotare di-
 xerunt. Quorum sententias cum attentè au-
 diuisset Iupiter, visum ei fuit, Aesculapi, vt
 sedulo in orbem terrarum descenderes: & ar-
 tis tuæ (medicæ nimirum) præsidio fretus, ibi
 ad vnguem explorares, quisnam morbus ho-
 mines ad has nequissimas insanias hodie mo-
 ueat: & quibus maximè partibus microcos-
 mus laboret. Verumenimvero, quia ille idem
 Iupiter re vera credit, & seriò affirmat di-
 uinam coelestis ignis particulam, imò verò
 æthereum radiolum, & auræ sydereæ spira-
 culum quo nascentes homines & viuentes
 quotidie illustrat ac vegetat, vitiorum fece
 obrui, languescere & obrundi (sæpeque inde,
 vt nec cor, nec caput vni reddatur formæ,
 actionesque vniuersi corporis in vsus à pro-
 priis & solitis longè diuersos degenerent) vt
 id accuratè obseruarem, me tibi comitem da-
 ri voluit: iussitque vt ea de causa ad te pro-
 perè venirem: quare vbi voles, Aesculapi,
 mandata explebimus, ac nos itineri opportu-
 nè commitemus. A E S C. Prouinciã fan-
 nèquam duram ac difficilem mihi à superis
 imponi video, Vrania: vereorque ne pro di-

Copied from
 the
 original
 in the
 library of
 the
 University of
 Bonn

gnitate & officio illam satis commodè tractare possim: cum ob multa, tum quòd hodie mi homines & victu & moribus latissimè recedant ab iis qui meo seculo vixerunt: causas alias probabiles certè ac numerosas, omitto: vnde fit vt artis meæ presidia hìc infirma esse reformidem. *V R A N I A.* Bono animo esto, Aesculapi: deorum filius in manibus sunt omnia. Agè itaque, iter faustis auihus ingrediamur: quod quia longum est ac difficile, vt eius tedia fallamus, narrationem aliquam de re graui (si placet) instituemus. *A E S C.* Potes pro tuo iure quidquid voles à me petere ac impetrare: modò id sit artis meæ: hoc est medicæ facultatis & artificij: humanorumque corporum structuram & opificium agnoscat. *V R A N.* Quando ita tibi visum est, Aesculapi, huic nostro colloquio fores aperiàm à diuina illa tui Galeni

Galenus libr.3.
de vsu par. cor-
po. hum.

sententia & autoritate. ΜΗ (inquit) θαυμά-
σῃς ὅτι καλὸς ἡλίος τε καὶ σελήνη, καὶ τ' ἄστρων
ὁ χορὸς ἅπας ἤξειται: μὴ δ' ἐκπλήξει σε τὸ
μέγεθος αὐτῶν, ἢ τὸ κινιστέως ἀκατάπιστοισιν,
ἢ τὸ περιόδωσιν αἱ τάξεις: ὡς τε τὰ τῆσδε πα-
ραβάλλοντα μικρὰ δοκεῖν εἶναι, καὶ ἀκόσμητα:
καὶ γὰρ σοφία, καὶ δύναμις, καὶ πρόνοια εὐρή-
σεις ἐν αὐτοῖς, &c. *Latine dicam, Aesculapi,*

etsi te πένουον esse verè intelligam. Ne admireris (inquit) quòd pulcher sit Sol & pulchra Luna: adhæc quòd chorus omnis astrorum miro artificio digeratur: neque etiam te stupore perfundat illorum vel magnitudo, vel splendoris venustas, vel irrequietus motus; vel circuitionum ordines: ita ut quæ deorsum posita sunt (cuiusmodi est humanum corpus) si illis conferantur, parua & abiecta esse videantur, suòque ornatu ac dignitate carere. Nam conditoris sapientiam, virtutem ac providentiam hîc quoque relucere inuenies: & (quod paulò post addit) opificis artem in utroque æqualem. Hactenus Galenus medicorum sanè omnium, si gentilem illum tuum Hippocratem excepero, Coryphæus & antesignanus. Qua sententia quid proponat non video: nisi fortasse velit intelligere humanū corpus quandam cœlorum imaginem præ se ferre, & suam cõtemplationem perinde atque cœlum habere, ob magnum cõsensum, societatem & harmoniam quam cū illo agnoscit, gerit, ac sustinet. Nam & hominè, ut ibidem scribit Galenus, veluti paruum quendam mundum esse aiunt viri veteres naturæ periti. Quæ res, quia mihi nondum est audita, nondum demonstrata, non-

HARMO. HVM. CORP. ET COELI.

Cœlestis Aescu-
lapij genealo-
gia.

dum comperta, obsecro te, diuine Aesculapi,
per intonsum & imberbem patrem tuum
Apollinem medicinae parētem & autorem,
perq; Iouem auum, per Saturnum proauum,
per Lunam amitam, per Mercuriū & Mar-
tem patruos, per Venerem maiorem amitam,
in summa per omnes generis tui planetarios
ordines, perque octauæ sphaeræ cœlestes con-
sanguineos tuos & affines deos ac Heroes
quamplurimos, vt eam paucis colloquiis mi-
hi explicare digneris. Quod vt cōmodè fiat,
deinceps simpliciter & absque fūco tibi pro-
feram & proponam quæ erunt & cuique
apparebunt in meis cœlis, illorūque rebus
sanèquam diuinis. Tu contra, nisi est mole-
stum, oppones quid in humanis corporibus,
quorum res omnes ad vnguem nosti, simile
his reperiatur: vt ex ipsa similitudine, affini-
tate & harmonia, mutuum coniugium &
foedus ineamus: hoc est, cœlum, cui sum tu-
trix data, humano corpori, cuius es curator,
solenni theatro hodie maritemus: palàm om-
nibus demonstrantes indicibilem similitudi-
nem, quæ sola amicitia vbiq; est mater, &
harmoniam inauditam, quam alterum cum
altero gerit & agnoscit. Quod facile sanè
erit (quid enim cœlestibus negatum?) si v-

triusque, cœli inquam, & hominis, penetralia, ipsis mortalibus immortales recludemus: breuitatem, quoad eius fieri poterit, perspicuitati ubique copulantes: & ambagiosa ac phalerata aurium lenocinia, veritatis flagella, cane peius & angue fugientes. AESC.
 Arduum sanè opus mihi imponere satagis, cœlestium moderatrix Vrania, & a nemine, quod sciam, adhuc tentatum: intelligi tamen, aspicique ac cognosci dignissimum: cùm ob multa, tum vt homo verè ουρανοφύτευτ, hoc est, è cœlo natus & emissus, opificem suum cognoscat, & cognitum amare ac venerari pergat. Qui, vt Sybillinis restatum est versiculis,

— αὐτῶ τῶ ποίηκεμ

Ουρανὸν, ἠελίου τε, καὶ ἀσέρας, ἠδὲ σελήνην,
 Καρποφόρον γαίαν τε, καὶ ὕδατ' ὀϊδιματὰ
 πάντου.

quod est, — condidit illi

Cœlos & Solem cum stellis, denique Lunam:
 Frugiferam terram, & pontum, fluctibusque
 sonanteis.

Insuper, vt ille idem mortalis & humanus homo cognitam ab immortalibus sui corporis maiestatem, deinceps non contemnat: fateaturque, magnum se esse naturæ miracu-

HARMO. HVM. CORP. ET COELI.

lum, & summè honorandū. sicuti οὐρανός
 meus Trismegistus Mercurius me olim do-
 mesticè docuit. Adhæc, ut omnes vno di-
 cant ore, omnia in omnibus inueniri: in infi-
 mis suprema, & in supremis infima: aut, si
 maus, in cælo terrena, sed modo cælesti: &
 in terra cælestia, sed modo terreno: ut est a-
 pud Platonium Proclum. Quod dum dico,
 Vrania, te imprimis commonefacio, me hoc
 toto nostro colloquio de rebus humanorum
 corporum, imò verò de ipsis corporibus, non
 aliter loqui posse, quàm humano modo, hoc
 est corruptibili: propterea quòd corpus ipsum
 (animam excludo) corruptioni est obnoxiiū.
 Tu de tuis cælis contra, nimirum cælesti mo-
 do, & ab omni corruptela alieno, ut Peripa-
 teticis visum est. Quare, si humana mea tuis
 diuinis compono, si composita simplicibus, si
 mortalia immortalibus, si patientia agenti-
 bus, si imperfecta perfectis, & ut paucis di-
 cam, si parua magnis, humilia sublimibus,
 ferendum tibi erit. In quibus, si quid deinceps
 à me peccabitur, imò certè quia sepe numero
 peccabitur (si tamen peccare nouerunt cæles-
 tes) tam libenter mihi condonabis, quàm ego
 tibi facile annuā, quod tu per cælestem meam
 γενεαλογίαν tam anxie & solite postula-

uisti. *V R A N.* *Aequum petis, Aesculapi,*
 & proinde iamiam ex animo tibi condona-
 tum. Quare agè, à primordiis humanae gene-
 rationis totius nostri colloquij fores mihi ape-
 ri. Hoc ubi absolueris, seria proponam: qui-
 bus pro tua bonitate respondere non detrecta-
 bis. *A E S C V.* Prisca est sententia *V rania,*
 & inter meos medicos, atque philosophos, qui
 humani corporis fabricam, primamue con-
 formationem intus & in cute diligentissime
 indagauerunt, haëtenus probata, & confir-
 mata, diuina ac caelestis originis opificem
 quendam esse spiritum, plane aethereum, &
 astro persimilem, qui unà cum famulanti-
 bus illi maternis facultatibus, generationis
 humanae principia, semen utrunque geniti-
 uum, cum muliebri sanguine, in destinata ad
 id cellula supra omne miraculum admirabi-
 li (uterum & matricem appellant) via om-
 nium, nisi deorum, oculis caeca, foueat & in-
 formet: perflantisque modo, & singentis, mē-
 bratim figuret, atq; in suā veluti tribum sin-
 gula pedetentim digerat, & ad viuentis cor-
 pusculi iustam symmetriam indicibili har-
 monia elaboret. Cui ea inesse fertur *ἄέγυδα,*
 ut per ipsa *σπυροποιός* tempora in lacteo-
 lo adhuc tyrocinio, ceu in elementari natura

Spiritus forma-
 tor corporum,
 caelestis est &
 aethereus.

libro, cœlorum, vnde scilicet vigorem habet cum origine, viam, quoad eius fieri potest, imaginē imprimat: illustrationēsq; & igniculos cœlestes illis ipsis animis relinquat, qui se per materia benignitatem formantis obsequio faciles exhibuerunt: perinde ac si cognationis & societatis familiare hospitium, inexplicabili modo irradiaret: atque ita excurso totius formationis tempore, vagientem imagunculam, cœlestis theatri diuinam picturam præ se ferentem, ex maternis latebris in lucem profert. Quod hic tibi demonstrandum superest Vrania, vt postulationi tuæ faciam satis. Res sanè optanda magis, quam præstanda. Quanquam cœlestibus quid negatum? quid deorum contubernalibus non possibile? aut quid non sperandum ei cui totum cœlum fauet, ac progenitores omnia dispensantes exhibet? Quando itaque apta est materia vt in ea vires nostras periclitemur, atque bonitatem, sapientiam, necnon virtutem dei deorum omnium Optimi Maximi inenarrabilem suspiciamus, prædicemus & veneremur: in colloquium de illa, vbi visum erit, tecum descendam liberè, ac positionibus quas pro tempore mihi oppones, constanter respondere conabor. *V R A N.* Bene

equidem & bene, Aesculapi: placent certe
 mirandum in modum quæ de humani corpo-
 ris fundamentis & formatione attulisti. In
 quo summam Dei & naturæ providentiam
 agnosco. Quod enim ex æthereis sedibus spi-
 ritum illum formatorem transmittere digne-
 tur, & nihil suis beneficiis priuatum esse, per-
 fectissimæ eius bonitatis specimē est: inuenisse
 quo decorarentur corpora, sapientiæ: effecisse
 quæ in illis voluit, virtutis (ut habet tuus
 Galenus) inuictæ, et insuperabilis. A E S C.
 Et hac quidem ratione hymnis iugiter cele-
 brandus est Διούλιουγος ille Vrania: ac tan-
 torum miraculorum Via, cum in cœlesti, tum
 humano corpore, nunc demum omnibus di-
 ligentissimè ob id aperienda. Quare, con-
 ciso longiore prologo, si quid habes quod pro-
 ponas, aggrede bonis auspitiis.

Dialogus secundus, de Solis & cœlo-
 rum coaptatione cum anima ratio-
 nali & corpore humano.

VRANIA.

A SOLE, Aesculapi, aut, si ma-
 uis, ab Apolline illustrissimo pa-
 rente tuo, & reliquis progenitori-
 B

bus tuis planetis, necnon consanguineis & affinibus aliis cœlestibus, imo verò, ut paucis dicam, à cœlis vniuersis exordiar: quorum, deum immortalem conditorem esse, non tam (opinor) eris Deòs æde, quin vtrò, vel tacente Mose, totâque Academia, liberè mecum fatearis. Horum quis alius formator fuit? quis in illis excellentissimam pulchritudinem depinxit? quis spherica corpora torauit? quis radios expressit? quis in tam admirandam varietatem digessit? quis tanta diuinitate donauit? quis inferiorem mundum illis circumuestiuit? quis fundamenta sursum iecit? quis motum instituit? quis lumine dotauit? quis tot virtutibus illustrauit? quis tam eleganti spectaculo figurauit? quis occultum spiritum inspirauit? quis motionis mensuram singulis ascripsit? & multa alia adposuit, quæ diuino planè ore tuus recenset Mercurius? Caue, ô Aesculapi, caue ne vnquam artificium suo priues artifice. Est itaque deus horum omnium conditor, moderator & creator. A E S C V L. Sanè impius essem, Vrania, & Cyclopum de gente, nedum deorum, si totus in id tecum non descenderem. Tūque multo sceleratior, si mecum etiam non fatereris, animæ rationalis, & cor-

Solis & cœli vniuersi, necnon partiu eius, Deus autor est & creator.

poris, quæ duo hominem constituunt, illum ipsum Opt. Max. Deum, autorem esse, modelis & corporis, ratorem ac conditorem. Quod ex eodem contemporaneo meo Mercurio, diuinorum mysteriorum mihi olim admirabili interprete, qui à seculo Mosis haud ita porro vixit, approbatus & confessus aliorum testimoniis, sic tibi confirmo. Pater omnium (inquit) intellectus, vita & fulgor, hominem sibi similem procreauit: atque ei tanquam filio suo congratulatus est: pulcher enim erat, patrisque sui imaginem ferebat. Agè, Vrania, hinc mihi intelligentiam tuam paulisper explica, & humani corporis structuram cum tuis cælis compone: inuenies profecto in utroque artem non admodum dissimilem, & architectatoris illorum Dei omnipotentis sapientiam ac bonitatem ubique æqualem. Itaque humani opificij admonitione perdisce, ut ille idem meus scribit Mercurius, quis tã pulchræ imaginis conditor? quis oculorum pictor? quis nares, auresque tornauit? quis oris labia distendit? quis nervos porrexit? quis tendonibus musculos alligauit? quis venas irrigauit? quis ossa solidauit? quis carnem epidermide, seu tenui pellicula circumuestiuit? quis digitos articulosque discreuit? quis in pedibus ambis

Animæ rationalis & corporis, necnô partium eius, Deus autor est & creator.

lationem, & totius corporis sustentacula posuit? quis in manibus prehensionem? in oculis visionem? in auribus auditionem? in lingua gustationem? in naribus olfactionem? in cerebro imaginationem, ratiocinationem & memoriam? in ventriculo coctionem? in hepate sanguificationem? in corde vitale vim? in pulmone inspirationem & expirationem? Quis poros corporis perforauit, atque meatus aperuit? quis arterias spirituosas effecit? quis cordi pyramidem impressit? quis iecoris fibras contexuit? quis splenem coegit, atque compressit? quis pulmonum fistulas sculpsit? quis ventriculo capacem amplitudinem tradidit? & , ut paucis dicam, quis parti cuique corporis suam actionem dedit? Quisnam singula finxit? qualis mater? qualis pater? nonne solus omnipotens & inuisibilis deus, cuncta propria voluntate & verbo est molitus? O pulcherrimum naturæ miraculum! ô visionem beatam! ô excellentissimum spectaculum, & artificem supra id omne quod est mirabile admirabilem! *VRAN.* Me iam ad stuporem vsque in dei & naturæ miracula pronocas Aesculapi. Sed heus tu? in-

corporeum planè est, quod Solem & caelos,
 Quod Solem & caelos regit ac necnon stellatas illorum partes, orbiculósque

omnes, & lucentes globulos regit, ac mouet: mouet, est im-
 nimirum mens diuina, immortalis & inuisi- mortale.
 bilis, ab omni que dimensione aliena. A E S C.

Incorporeum itidem, Vrania, quod animam Quod animam
 rationalem & corpora, illorumque orbicula- rationalem &
 tas partes omnes regit, atque mouet: nimi- corpus huma-
 rum igniculus plane diuinus, & patris cœ- nū regit ac mo-
 lestus vbi que radians, & omnia vegetans uet, est immor-
 spiritus, qui immortalis est, & hic à nemine tale.
 videtur, omni dimensione prorsus carens: Ut

meus me docuit Hermes, sacrorum arcano-
 rum mihi olim interpretes verè Trismegistus.

V R A N. Cum Sole & Luna planeta om- Cœlorū partes
 nes Aesculapi, motibus duobus sensui mani- scu stellæ, dupli-
 festissimis mouentur. Vno communi, qui est ci motu mouen-
 totius vniuersitatis cœlorum: & altero par-
 ticulari, de propria planeta cuiusque natura. Corporum hu-
 manorum par-
 tes, duplici mo-
 tu mouentur.

A E S C. Sic corporis humani partes omnes
 motui nata, illum duplicē habere manifestis-
 simè deprehenduntur, Vrania. Vnum, qui de
 totius motione pēdet, & vniuersalis est. Alte-
 rū, qui ab insita parti cuiq; facultate, natura,
 spiritu, & voluntate proficiscitur, atq; exur-
 git. V R A. Hactenus bene Aesculapi: sed
 Sol, radius mētis diuinæ humanis oculis incō-
 prehensibilis, & nature speculū sanèquam
 tersum, deorumque cœlestium, ut tuus Mer-

Sol de cœlo inferiora omnia sibi cōmissa benéfico spiraculo temperat, ac reficit.

Anima rationalis in corpore omnia sibi commissa, &c.

Solis motus in cœlo constans est & indefatigatus.

Animæ rationalis motus in corpore, &c.

Sol nullius potest deum est indigus, ut vires suas exerceat & exerat.

curius loquitur, Deus præstātissimus in cœlo principatum obtinet, mundisq; vniuersum, & quidquid in illo est animabili quadam vi, & viuifico spiraculo vbiq; lucens vegetat, ac temperat. *AE S C.* Eadem ferè via, in humano corpore mens & immortalis

una anima rationalis, Solis (quem mundi animam alicubi dixerunt Academici) imago elegantissima, licet inuisibilis & humanis sensibus incomprehensibilis, maiestatem ac principatum præcipuum obtinet: illudque vniuersum vbiq; vitali spiraculo temperat, sustinet, fouet, ac vegetat.

VRAN. Agè, Solis motus à positis cœli fundamentis constans sibi semper est: ad hæc perpetuus, & vniiformis, necnon indefatigatus.

AE S C. Sic animæ rationalis motus, vrania, à positis sui corporis fundamentis sibi constans est: & à forma, ut loquuntur Platonici, diuinitus impressa perpetuus, omnique diei ac noctis momento, vsque ad extremum vitæ actum indefatigatus. *VRAN.* Phœbus tuo Galeno, Aesculapi, magnus cœli rex nuncupatus, præsidium rerum mundi inferioris quæ ex quatuor elementis cōstant, nullo modo implorat, ut influat, luceat, moueatur, & suas vires exerceat. *AE S C.* In hęc modum

mens humana, parvulus Sol quibusdā dicta, Anima rationalis nullius post
 & rationalis anima, ut moveatur, influat, deum indiga, ut
 & suas vires exerceat, rerū corporis ex qua- vires suas in cor-
 tuor elementorum permistione temperatarum pore exerceat &
 opem minimè accersit. Nam simplex est, & exerat.
 ut Sol, diuinitatis particeps, proindeque nul-
 lius, nisi Dei auxilio, indiga.

Dialogus tertius, de radiorum Solis,
 & eiusdem spirituum cōciliatione
 cum humani corporis spiritibus.

VRANIA.

HACTENVS colloquij nostri
 prima excursio feliciter sic satis
 processit, Aesculapi, proavis edite
 diis. Nunc verò in animo est ad alia te vo-
 care. Propono itaque Solis radios, quos mundi Solares spiritus
 spiritum, & numen nonnulli dicere nihil sunt & radij, essentia
 veriti. Hi substantia quaedam sunt dilucida, & planè æthe-
 subtilis, tenuissima, planè cœlestis, & athe-
 rea, ab ipso solari corpore producta, ut sur-
 sum, deorsumque, citò, ac facile perferantur.
 Hem, quid habes in tuis corporibus quod his
 mihi opponas? quid? paucis respòde. A E S C.
 Hui, tu ne tam subito exultas, Vrania, vix-

B iiij

Spiritus huma-
ni corporis, ef-
sentia sunt te-
nuissimæ, & pla-
nè æthereæ.

Solaris spiritus
vibratio, rebus
terræ variè sese
accōmodat, ac
in illas diuersi-
modè agit.

Animalis spiri-
tus vibratio, re-
bus corporis va-
riè sese accōmo-
dat, ac in illas
diuersimodè a-
git.

dum primum colloquij nostri limen ingressa?
*Hic de infinitis humani corporis rebus, spiri-
tus tibi opponam. Nam ut radij quidam se
habent, per vniuersum corpus diffusi ac ia-
culati: quorum substantia ætherea planè est,
necnon subtilis, & dilucida: ab ipsis princi-
pibus corporis partibus, ceu à fontibus aureis
diffluens ac emanans: ut illorum virtus, fa-
cultas, & radij ab his per vniuersum corpus,
tam sursum quàm deorsum, leuiter, tutò, citò,
& facile perferantur. V R A N. Mirus vi-
deri iā mihi incipis Aesculapi: verumenim-
uèrò, solaris spiritus, calor, splendor, & vi-
bratio, diuersis dissimilibusq; terrarum par-
ticulis distributa, & perenni fœdere sociata,
Varie agunt, ac varia (conspirante materia)
in paratis rerum generabilium ac corruptibi-
lium naturis agrediuntur: aliter in hanc,
quàm illam agendo: in molle corpus quàm
durum, rarum quàm densum, crassum quàm
tenue, plantam quàm lapidem, terram quàm
aquam, & ita deinceps. AE SCVLAP.
Sic in locuplete humani diuersorij officina,
vnius animalis spiritus splendor & vibra-
tio, radiorum Solis quodammodo particeps,
& æmula, dum diuersis corporis membris,
particulis, & organis impertitur, ac in-*

funditur, adminiculante cuiusque tum natura, tum structura, & temperamento, variè agit, ac functiones, instrumento vnicuique suas (tametsi dispares) per proprios à natura in id destinatos canaliculos subministrat, & quadantenus iaculatur: aliter in hoc organum quàm illud agendo, atque influendo: licet ex eodem fonte, perinde atque solare spiraculum derivari certum sit. Nam in oculos, ut radius quidam effusus, & iaculatus, per nervos opticos visionem facit: in aures per certos meatus, auditionem: in linguam, per neruulos ad eam attinentes, gustationem: in manus, prehensionem: in pedes, ambulationem: in vniuersum corpus tactum, per nervos & fibras nervosas, quæ in musculos, cutim, & membranas, retis modo, vel aliter, disperguntur. *VRAN.* Probabilia dicis, *Aesculapi:* sed Solis spiritum, lumen & radios, nulla orbis terrarum portio, nulla regio, nulla provincia, nulla vrbs quantumcunque vasta & spatiosa, in vniuersum sibi soli vendicare potest: atque omni tempore, sine aliarum iactura, usurpare: ex quo verè dictum arbitror, non est qui se abscondat à calore eius. *ÆSCVL.* Ad hunc modum animalis spiritus iaculationem, radios & lumen nulla

Solaris radij vibratio, in vniuersum claudi alicubi non potest.

Animalis spiritus vibratio, in vniuersum alibi claudonon potest.

partium corporis portio, nullum brachium, nullus pes, nullum latus, nullum viscus in totum sibi vdicare potest, nec aliis eripere aut præcludere sine illarum, imò verò totius corporis iactura irreparabili. Nam quidquid est in corpore, à spiritu illo agitur: ex quo verè dici potest, nihil est quod se abscondat à radio eius, & diuino planè spiraculo. *VRAN.* Res omnes mundi, Aesculapi, Solis & stellarum spiritu, luce, motu & affluxu reguntur atque administrantur: quemadmodum ego nunc demum tibi monstrare satagam. *AESCVL.* Sic corporis res omnes, spiritus animalis & natiui caloris radio, luce, motu & influxu administrantur & reguntur: veluti mox explicabo. *VRAN.* Articulo temporis omnia luce Solis collustrari & excitari, non est nisi fortasse Tiresias qui non videat, imò verò sentiat ac percipiat. *AESCVL.* Itidem spiritus animalis luce & facultate, momento temporis omnia corporis membra collustrari & excitari, non est nisi fortasse malè sanus Orestes, qui non percipiat & fateatur. *VRAN.* Quot ego in te iacula contorqueo, Aesculapi, tu in me tot retorques. Agedum, ille tuus pater Phœbus, rerum omnium sub Lunæ

sphæra degentium oblectamentum, & lumi-
 nis necnon caloris fons perennis, Pythagori-
 cis diuinæ intelligentiæ imago nuncupatus,
 & Socrati, Platone teste, inuisibilis dei, Vi-
 sibilis filius, manè deterfa noctis caligrine ex-
 oriens, & vniuersum, vbi attollitur, hemi-
 spheriū derepente illustrans, lucēq; ac radiis,
 necnon vi tacita, & motu, vt visum est Pe-
 ripateticis, & Academicis, omnia modificās:
 homines insuper ad consuetas operas, quasi de
 classico vno quodē quotidie inuitans, quid per
 Iouem (reuoco Verbum Aesculapi) de tota
 corporum humanorum supellectile expressis-
 simè mihi figurabit? **AESCVL.** Ehò, tunc
 adeo ferox es, Vrania, propterea quòd auum
 meum hîc appellasti? Agè, his omnibus quæ
 acutè certè mihi proposuisti, vnum anima-
 lem spiritum verè diuinum, & incompre-
 hensibilem oppono: quem in cerebro per sôpo-
 riferam noctem, tanquam in subterraneo he-
 misphærio latitantem, quis non videt matu-
 tino tempore, excusso de toto corporis concla-
 ui nocturno torpore (qui vera est mortis ima-
 go) in vniuersum corpus statim & confer-
 tim spargi, ac disseminari? omnesque illius
 particulas de capite, ceu de coelo quodam pre-
 alto collustrare, & ad labores (quibus vitæ

Solare spiracu-
 lū sua energie
 & præsentia in
 rebus terræ mi-
 tra efficit.

Animale spira-
 culum sua præ-
 sentia & ener-
 geia in huma-
 nis corporibus
 mitra efficit.

alimenta conquiruntur) solitaſque operas, af-
 ſentiente voluntate, quotidie ſolicitare? Ec-
 quid per cœlos tuos hæc tibi placent, Vrania?
 licebit mihi tuo exemplo nonnihil incalceſce-
 re, ne dicam incandescere. *VRANIA.*
 Placent, Aesculapi, mirum in modum. Sed
 heus tu: de Solis & stellarum animabili aſpi-
 ratione, ac ſalutari aura, longè latèque per
 terrarum orbem ſparſa, & diſfuſa: adhæc de
 aſſiduo cœlorum motu, teporem æthereum, re-
 rum omnium inferiorum pabulum præſtan-
 tiſſimum, per totam mundi vniuerſitatem
 vehente, & ad certum pondus, menſuramq;
 (non vno tamen certo loco, ſed modò hoc, a-
 liàs illo, quandoque propiore, nonnunquam
 remotiore, vt rerum ſeries poſtulat, & tem-
 porum natura ſuſtinet) perferente ac diſtri-
 buente, nemo eſt qui non videat telluris gre-
 mium perbellè vbiq; foueri: ipſamque ter-
 ram, & particulatim portiones eius omnes,
 præparationem, vires, ac robur ad obeunda
 propria munera placidè induere. Quibus ec-
 quid de humano corpore mihi opponis, Ae-
 ſculapi? quid? paucis deprome. *ÆSCVL.*
 Mira es, Vrania: metuo, me hercule, ne tan-
 dem à verbis ad verbera veniamus. Cœleſti-
 bus non licet tam inſolentes eſſe: ſed tibi par-

Solarium ſpiri-
 tuum lapſus in
 terrâ, illius par-
 ticulas oēs ſum-
 mè vegetat, fo-
 uet ac reficit.

ratione, ac ſalutari aura, longè latèque per
 terrarum orbem ſparſa, & diſfuſa: adhæc de
 aſſiduo cœlorum motu, teporem æthereum, re-
 rum omnium inferiorum pabulum præſtan-
 tiſſimum, per totam mundi vniuerſitatem
 vehente, & ad certum pondus, menſuramq;
 (non vno tamen certo loco, ſed modò hoc, a-
 liàs illo, quandoque propiore, nonnunquam
 remotiore, vt rerum ſeries poſtulat, & tem-
 porum natura ſuſtinet) perferente ac diſtri-
 buente, nemo eſt qui non videat telluris gre-
 mium perbellè vbiq; foueri: ipſamque ter-
 ram, & particulatim portiones eius omnes,
 præparationem, vires, ac robur ad obeunda
 propria munera placidè induere. Quibus ec-
 quid de humano corpore mihi opponis, Ae-
 ſculapi? quid? paucis deprome. *ÆSCVL.*
 Mira es, Vrania: metuo, me hercule, ne tan-
 dem à verbis ad verbera veniamus. Cœleſti-
 bus non licet tam inſolentes eſſe: ſed tibi par-

co, quia foemina. Itaque mecum deinceps modestius agere stude, vel tam mutum me habebis, quam sunt (quod dicunt) pisces. Humanorū spirituū lapsus & distributio per corpus, illi⁹ particulas omnes summē vegetat, fouet ac reficit.

Oppono his omnibus quae proposuisti, spirituum qui in humanis sunt corporibus, continentem illapsum, & illorum diffusam a motu hinc inde aspirationem. A qua sensuum instrumenta, neruōsque omnes, & musculos, denique particulas corporis vniuersas, imò verò, ut paucis dicam, corpus totum quantumcunque fuerit, certo quodam pondere, & mensura, modò hoc loco, modò illo, propius quandoque, aliàs remotius, praeparationem, vires, robur, atque auxilium, ad vitae munera & officia ritè peragenda suscipere, nemo non agnoscit, non videt, non fatetur.

VRAN. Quid si tibi non nihil diuersum à iam positis, & probatis adferam, Aesculapi? Solares spiritus omnia radiantem, cum motu quem perpetuum habent comitem, terram, omni tempore suo impulsu necessario non adigunt, ut fructus edat, & solitum opus tentet, atque aggrediatur. *AE S C V L.* Ita spiritus iam dicti, Vrania, cum motu quem perpetuum habent comitem, semper & vbiq; corpori necessario non imperant, ut moueatur, sentiat, tangat, & solitas suas actiones

Solis spiritus & radij, terram ad suum opus non semper adigunt.

Corporis spiritus humana instrumenta, &c.

De Solis beneficio ipsummet Solē intuemur. *obeat ac perficiat. V R A N.* De Solis luce & spiraculo, *AESculapi*, ipsummet Solem contemplamur, ac eius actiones omnes intuemur.

De spiritus animalis beneficio &c. *AE S C.* Sic de animalis spiritus luce, *Vrania*, & benefico illius radio, ipsummet animalem spiritum, & contemplamur, & eius actiones omnes intuemur. *V R A N.*

Solis vibratio impediti potest ne deorsum feratur.

Spirit^u animalis vibratio, &c.

Solis in cœlo mira est velocitas & pernicitas.

Quidquid Solis radius illuminat, densissimæ nubis interuentu, vel lunaris corporis supposito obstaculo, vel rei alterius obiectu, eius lumine se penumero priuatur. AE S C. Eodem modo quæ spiritus animalis illustrat, crassi alicuius humoris, vel flatus, aut alterius rei interueniente obstaculo, eius priuari possunt illustratione: ut in paralyssi, apoplexia, stupore, & aliis. *V R A N.* Ad miraculum usque in respondendo mirabilis es, & ingemiosus, *Aesculapi*. Sed ille idem Solis radius, quia eam oram cœli quâ discurret, ab oriente per meridiem in occasum, intra quartam & vigesimam horam vniuersim circuit: de semidiametri ratione, non minus ducentis & septuaginta milibus miliarium, vel pauxillo plus, vnius horæ curriculo peragrabit: motu, si oculos consulas, adeo lento, ut cum progredi non cernatur, sed quasi stare, tantum progressus esse intelligatur, potius quàm iudice-

tur. Ohe, quem in toto terrarum orbe tam expeditum mihi dabis cursorem? aut quid in hu mano corpore illi simile reperies? hoc est tanta, tamque celeri pernicitate præditum?

AE S C. Vnum spiritum animale, vel, ut Animalis spūs, & rationalis mē
simplicius loquar, mentē rationale, Vrania, & rationalis mē
tibi proferā: quæ per omnem mūdi oram, per tis in corpore
Vastissimum oceanum, per inferna & sub- mira est veloci-
terranea, quæque adhæc per vniuersum aeris tas & pernici-
tractum, & cunctos cælorum ordines, expe- tas.

ditissimè, non dicam intra quartam & vi-
gesimam horā, sed horulæ vnius semisse, vel
eo minus, ire redireque potest: ac tantillo tem-
poris interuallo, supra bis mille & sexcentas
miliarium myriadas conficere, quantum à
corruptibili mundi parte, vsque ad fixas stel-
las, & octauum cælum numerari solet.

VRAN. Omnia ex tripode loqueris, Ae- Cælestiū corpo-
sculapi. Caterum, absque solaribus radiis, & rū influxus reb-
cælestium corporum Vitali aura, perpetuo terræ est sané-
influxu, vegeto calore, indefesso motu, & oc- quam necessa-
culto consensu, nulla terræ particula vigere rius.

& stare potest, seque ac suas qualitates tue-
ri. *AE S C.* Absque influente humanorum

spirituum vi, & eorundem motu irrequieto, Humanorū spi-
necnon natiuo calore, nulla corporis particu- rituum influxus
la vigorem ac vitam sustinere diu potest: rebus corporis,
&c.

Donū solaris lu- nec se ac suam temperaturam, Vna cum a-
minis de certo Etione, vel momento tueri. V R A N. Do-
aliquo loco, per num luminis, Aesculapi, per Solis orbem no-
vniuersum ter- bis infunditur, & in totum ac vniuersum
rarū orbē spar- terrarum corpus, longè, latèque spargitur, &
gitur. oberrat. A E S C. Donum spiritus animalis,

Donum spiritus animalis de cer- Vrania, per capitis orbem in totum huma-
to aliquo, & c. num corpus, præcipuâque eius instrumenta
funditur: ac longè, latèque spargitur. V R A.

Solares radij & Solares radij & spiritus ex vno eodèmqe
spiritus triplicè cœli & Horizontis loco, ad rerum vegeta-
habent exortū. tionem, vitam & modificationem per vni-
uersum mundum nequaquam feruntur: quin
potius triplicem habent exortum à meis Ma-
thematicis designatum: in Ariete scilicet &
Libra, qui Aequinoctialis dicitur: in Can-
cro, Solstitialis, & Capricorno Brumalis.

Humanorum A E S C V L. Sic humani spiritus, Vrania,
corporum spiri- ex vno & eodem corporis loco ad rerum il-
tus triplicè ha- lius vegetationem, vitam & modificatio-
bent exortum. nem nequaquam prodeunt: quin potius tripli-
cè habent sedē & exortū à meis medicis desi-
gnatū. In corde scilicet, & Vitalis dicitur: in
cerebro, animalis: & in iecore seu hepate, na-
turalis: quemadmodum ego tibi dilucide sum
demonstratura, vbi data occasione à tuis re-
bus cœli, eò me deduxeris.

Dialogus quartus, de compositione
Lunaris radij & spiraculi, cum ani-
mali spiritu.

VRANIA.

DICI non potest, diuine Aescula-
pi, quim grata mihi fuerint pre-
cedentia colloquia. In reliquis, si
quo ceptum est pede, perrexeris, iacta video
fundamenta nostri coniugij, hoc est, harmo-
nie humani corporis & caeli. Quando itaq;
tu & respondendo, & docendo non defati-
garis, nec item ego cum quarendo, tum discē-
do, alia aggredi nunc demum meditor: à Lu-
na amita tua gradum mihi faciens: tãquam
à potissimo post Solem, totius naturæ organo,
quemadmodum ex Trismegisto, tuus trans-
scripsit Galenus. Hanc certum est ex se, nec
radium habere, nec natium lumen, nec mu-
tationū penes menstruos schematisimos vim
vllam, nisi quatenus à patre tuo Sole, coele-
stium ignium foco luculentissimo, larga ma-
nu vel auara ei concessum est. **AESCUL.** Humanū corp^o
Sic corporea moles, Vrania, cuius statum per
morbos & sanitatem Galeno meo, & Ptole-
maeo eius contemporaneo prodit Luna, viu-
tile. absq; solaribus
radiis est inu-
tile.

ficam de se lucem vllam non habet, nec motus ac sensus (qui duo certissimi sunt vitæ testes) facultatem vllam, nisi quatenus à spiritu animali, qui in corpore est veluti parvulus quidam Sol, per nervos sensificos & motores diuite manu, vel paupere, ei datum est,

Luna à Sole suū ac concessum. *V R A N.* Praclare sanè, sed eadem Luna, à Sole coelestium spectaculorū pulcherrimo (à quo nihil habuerunt Academici, vnde mentem diuinam propius ostenderent, & expressius mundum ab illa regi figurarent) fraterna liberalitate lumen, & penè dixerim pabulum, de aspectu, & consortio gratis foeneratur: ea tamen conditione, vt vicissim vtrunque ad conseruandam, temperandamque rerum mundi sobolem, etiam gratis deorsum foeneret, ac refundat. Cuius rei Aesculapi, quam mihi dabis in humano corpore imaginem? *A E S C V L.* Animalem facultatem vna cum vitali, *V r a n i a,* & partes corporis duas vtriusque facultatis hospites, nimirum cor & cerebrum. Illud, quia caloris & vitalis lucis fons est inexhaustus, perinde atque Sol. Hoc, quia Lunæ naturam, metamorphoses & alternationes vnâ cum motu in multis (non ausim dicere in mulieribus) agnoscit: quod probant comitialium cir-

cuitus, ut per appositè meus adnotavit Galenus. Verum, ut rem totam ad ea quæ pro- Animalis spūs
posuisti coaptem scire pretium operæ est, cor à vitali suum lu-
sanguine laudabili, temperato, & salutare in men gratis fœ-
suo dextro sinu (ubi lucidissimi, suaves, cali- neratum, gratis
dissimi & halitiosi sunt spiritus quamplu- deorsum refun-
rim) saginatum, perfusum & pastum, cere- dit.
bro animale spiritum, ceu lumen quoddam
de puriore sanguine, & halitibus illis elabo-
ratum, omnique sorde repurgatum, sufficere
ac fœnerare. Quem vicissim radiorum modo,
dictum cerebrum per proprios canales & tu-
bulos, omnibus corporis particulis ad earum
conservationem, & præcipuè ad motum, ac
sensum distribuit, & gratis impertit.

V R A. Laudo & probo quæ dicis, Aescu- Lunaris radius
lapi: verum omnibus constat Lunam de lu- absq; solari vi-
mine periclitari, & inutile corpus circumfer- gere & esse non
re, si luciferam suam faciem & auricomos potest.

radios frater Phæbus ab ea vel subduxerit, Animalis spūs
vel aliunde prohibitus negauerit. A E S C. absque vitali vi-
Sic animale spiritum, & proinde huma- gere & esse non
num corpus de vita periclitari certum est, si potest.

vitalis ei non præluxerit: vel alicunde impe-
ditus sese subduxerit: ut hic Solem, ille Lu-
nam figuret. Nam tum corpus totum, non di-
cam stupidum & inutile, sed cui migratura

*in labris seſſitet anima, relinquī, tam eſt per-
ſpicuum, & de experientia cognitum, vt ni-
hil magis. V R A N. Lunares radij, caligi-
ne, vel ſumida aliqua nube obducti, & cir-
cumuenti, nobis tum circa ipſum Luna cor-
pus, tum etiam circa nubes mentiuntur mul-
ta, ac imponunt. A E S C V L. In hunc ſere
modum, radius animalis ſpiritus, vel eius vi-
bratio, melancholicis ſumis, biliſis item, aut
pituitoſis, ceu nebulis quibusdam, excepta &
remiſta, multas viſiones, & Phōſorax con-
ſingit, ac mentitur: perinde atque lunaris ra-
dius, imò Verò ſolaris potiùs: pro varia vtri-
uſque (corporis, inquam, & nubis) natura.*

*V R A N. Hæc non admodum improbo.
Sed heus tu? Luna ſui luminis originem &
incrementa, à Sole, tanquam ab inextingui-
bili lucerna mutuatur: vt vniuerſum terra-
rum orbem, die, nocteque illuſtret. Cui rei,
Aeſculapi, ſimile aliquid mihi (obſecro) de-
monſtra in humano corpore. A E S C. Dictū
ſpiritum animale m tibi oſtendo: qui Platoni,
& Galeno meo, in cerebro Luna inauthorato
reſidet. Nam à vitali elaborato (cui ſedes in
corde) ſua originem, & incrementa mutuatur:
vt dies ac noctes corpus illuſtret, moueat ac
vegetet. V R A N. Id vñ hic reſtat, tam-*

*Lunaris radius & ſe & ſua in-
crementa ſolari
radio debet.*

*Animalis ſpūs
& ſe & ſua in-
crementa vitali
debet.*

est repetitum: Lunare lumen & spiraculum,
suas à Sole alternationes, ac reparationes mē-
dicat. Vnde Σελήνη (quæ Latinis est Luna) Lunaris radius
à Græcis, ut arbitror, nomen accepit, quod & spiritus à so-
σελάης, id est, splendorem, αὐτοῦ de super, nimi- lari pendet.
rium à Sole accipiat. AE S.C.V.L. Obrundis
simul & offendis, Vrania, eandem cantile-
nam toties canens. Semel atque iterum expo- Animalis spūs
suit vnum animale spiritum, Luna in par- cū sua radiatio-
te mancipatum, à corde Solem præ se ferente, ne à vitali pen-
lucis suæ, quæ est veluti lunaris quidam splē- det.
dor, reparationem, & deperditæ, dissipatæq;
substantiæ instaurationem accipere. Quod
ut facilius intelligas, hunc in modum demō-
stro. Vitalis spiritus qui in corde sua sibi fixit
tentoria, per maiorem arteriam sursum in ca-
rotides tantisper contendit, dum in cōtextum
cerebri admirabilem, seu reticularem plexum
permeet: vbi multis flexibus, labyrinthum di-
cas, variè implicatus, & cancellatis fibris ir-
retitus, hæret, cunctaturque, donec elabora-
tionem quandam acceperit. Hinc, rursus in
choroidem texturam perreptat: vbi exhausto
per nares tenuiore aere, nonnihil illius sibi
iungens vi cerebri ambientis, in animale
spiritum plenè commutatur: qui ex contex-
tu deinde refluens, totos cerebri ventriculos ad

futuros vsus implet. Ex quo facile colligis, il-
lum à Vitali, perinde atque Luna lumen à
Sole manare. *VRANA*. Patieris & hoc po-
stremum tibi, ô diuine Aesculapi, isto collo-
quio proponi. Crescente & inualescente lu-
nari radio ac lumine, crescunt & inualescunt
aquarum motus, corporum humiditates, &
ossium medulla. *AESCUL*. Ita crescente
inualescenteque animali spiritu, cum corpo-
rum, tum ingeniorum motus & actiones cre-
scunt ac inualescunt. Sed hæc leuiora sunt *Vra-
nia*, quàm à me demonstrari debeant, & à te
proponi. Quare si deinceps quid habes graui-
us deprome, & nouum colloquium institue.

Crescete lunari
radio, crescunt
aquare motus.

Crescente spiri
tu animali, cre-
scunt corporum
& animorū mo-
tus.

Dialogus quintus de collatione facul-
tatis radiorum planetarum cum hu-
mani corporis facultatibus.

VRANIA.

S *VBEREOR* ter maxime
Aesculapi, ne nimium sciscitando
tibi sim molesta. Non desinam ra-
men, donec silentium mihi indixeris: persuasa
ingenui esse animi, cui multum debeas, pluri-
mum debere velle. Pergam itaque res meas
cœli excutere, vt propositæ harmoniæ corpo-
ris humani cum cœlo rationem, qua cœptum

est via, assequar. Dic itaque per Panacem & Hygieinam charissimas tuas filias, quid sibi vult, quod planetae septem, qui mundum sensibilem dispensant, circulisque suis, & radiis illum complectuntur, si segenius solito sua obiverint munera, vel inferiori mundo salutare suos negaverint ignes, tam certam ei presentant internecionem, quam quae omnium est certissima? *AE S C.* Dic, *Vrania*, per caelestes tuas hierarchias, quid sibi vult, quod tres facultates vitae humanae dispensatrices, cum his quae naturali ancillantur, quatuor numero (quae simul sumpta septenarium compler, quotus est tuus planetarum ordo) si solitas suas actiones intermiserint, & spirantes hinc inde radios, rebus corporis vegetandis, sustinendis, ac modificandis sane quam necessarios negaverint, humano corpori tam certam intentat ruinam, quam quae maxime certa est? *V R A N.* Emoriar, si quenquam audiui accuratius philosophantem. Placet paulo altius ea de re colloqui. Certum est, *Aesculapi*, naturali Solis facultati (quae de proprio orbe benefica radiorum distributione per totum mundum ad rerum illius conseruationem effunditur) quatuor planetas imprimis subscriuire, & auxiliares adesse. In quibus Luna primo loco

C iij

Planetarum mundum dispensantium actio, & praesentia, rebus terrae est sanè quae necessaria.

Facultatum vitam dispensantium, cum his quae illis ancillantur actio & praesentia, rebus corporis, &c.

Naturali Solis facultati quatuor planetae de omnibus maxime ancillantur.

recensetur, illis materiae copiam cum succo humido suppeditans. Secundo Saturnus, succi illius retinendi facultatem desuper instillans. Tertio Iupiter, succum eum in propriam rei substantiam mutans & coquens. Postremo Mars, quæ sunt inutilia & aliena segregans, dissipans, & in ambientem aerem vel aliter exhauriens: ne si moram illic diutius fecerint, vitium adferant. Quæ sententia, ecquid tibi placet, Aesculapi. *AE S C. Valde,*

Naturali humanorum corporum facultati quatuor ministrantur. *Vrania:* sic naturali humanorum corporum facultati, quæ ex iccinore veluti fonte quodam, per Venas seu riuulos, omnibus corporis partibus benefica distributione alimoniam præbet, quatuor ancillæ subministrant. *Attrahens* imprimis facultas, quæ conuenientem cuique particulae succum expetitum attrahere solet: quapropter materiae copiam ex qua quæuis particula nutrienda est, suppeditat. Secundo *retentrix*, quæ attractum succum eousque retinet, donec alteratrix eum in naturam partis mutauerit. Tertio *alteratrix* sine *coctrix*, quæ id quod attractum est, & aliquandiu retentum, alterat, immutat, concoquit, ac parti alende apponit & assimilat. Postremo *expultrix*, quæ à coctione tam inutilia quàm aliena segregat: excrementa que

*singula ex corporis partibus singulis pellit: ne
 si moram diutius ibi traxerint, putrescant,
 & vitium adferant. V R A N. Bene equi-
 dem, Aesculapi: sed stellatorum globulorum
 chorus omnis, imò Verò caelorum ordo vni-
 uersus, proprio temperamento, natiuis quali-
 ratibus, necnon mutuo cōsensu, se & res mū-
 di omnes sustinens, atque (ut postea fufissimè
 demonst^rabo) quodammodo adiutans, quid
 in humano corpore simile reperiet? A E S C.
 Cum facultatibus humani corporis, & ea-
 rum famulatu, partes eiusdem tam principes,
 quam illis succenturiatas, Vrania: quas con-
 tubernij iure, mutuas operas tradere, & opē,
 ceu fraternam, miro concentu & consensu de
 temperamentorum & qualitatum concilia-
 tione, simul dare, & accipere quis non videt?
 Quotus est his qui Hippocrati nepoti meo,
 bonorum omnium auctori, à quo nihil vn-
 quam perperam est dictū, nec scriptum, Gale-
 no item alumno meo incomparabili, nomina
 dederunt, qui non intelligat facultates, corpo-
 ris & vite aurigas, sibi inuicem subseruire,
 præsto esse, & sociis auxiliis ad temperan-
 das res hominis se mutuo iuuare? In quo si
 hares, naturalem facultatem omnium pri-
 mam in hæc scenam tibi produco: quam vi-*

Planetæ vt etiã
 stellæ aliæ, se
 mutuo quodam
 modo iuuant ac
 temperant.

Facultates hu-
 mani corporis
 vt etiam res e-
 iusdem aliæ, se
 mutuo quodam
 modo iuuant ac
 temperant.

Naturalib' cor-
 porū instrumen-
 tis ex se cogē-
 tibus incho-
 mialibus con-
 sul.

tali materiam, passionemque sufficere, fidem
 vbiq; faciunt mei Asclepiade: vti etiam
 animalem, vitali auxiliarem esse, dum pe-
 ctus cum pulmonibus, alimenti, refrigeriique
 gratia, mouet, & excitat. Rursum, animali
 reliquas duas adesse, dum ei materiam pabu-
 lumque & spiritum transmittunt. Sic natu-
 ralem vitalis fouet, dum ei per arterias cum
 animalis adminiculo, aspirat. Quod etiam
 ad eas facultates quæ naturali ancillantur, a-
 ptare poterimus. Nam attractricem per suos
 villos transversos & circulares, iuuat reten-
 trix: & hæc rursum ab attractrice, per fibras
 rectas iuuatur. In summa, attractrix altera-
 trici seu coëtrici famulatur: vti etiam reten-
 trix & expultrix: similiter formatrici nu-
 trix, quæ subsidiaria & quasi ministra cum
 auëtrice illi exhibetur. *V R A N.* Eximius
 es doctor Aesculapi, & rerum corporis ma-
 gister ad vnguem factus: sed agè, si non fue-
 rint in officio Luna, aut Iupiter: vel, si for-
 mularum Luna & Iupiter impediri possunt
 tasse impediuntur, vti per illorum eclipses fie-
 ri solet, non idcirco existimandum est ob
 id Solem ociari, aut cessare: tametsi res terræ
 cū illo dispensent. *A E S C.* Sic dum sopiuntur
 vel impediuntur naturalis facultas &
 animalis, quæ Ioni & Lunæ inauthorantur,

cor vnâ cum visali suo spiritu affici, cessare,
 & occiari (tâmet si cum illo corpus agant, &
 eius res dispensent) credendum non est. Qua
 in re si dubitas, te meus facile docebit Gale-
 nus. Si animal, inquit, neque sentiendi, neque
 mouendi ab electione facultatem habuerit,
 neque nutriatur, hoc est, si sopitas facultates
 duas sustinuerit, animale nimirum, & na-
 turalem (sicuti in latentibus animalibus mul-
 tis per hyemem contingit) nihilominus viue-
 re, quod cor mâserit illæsum, haud quaquam
 negandum est. Hæc Galenus meus, vbi que
 sanè magnus. *V R A N.* Ac profectò, *Ae-*
sculapi, totam in tui admirationem rapis, v-
 que adeo eruditè loqueris. Caterùm, Sol quem
 Veteres philosophi cum Alcinoo Platónico, sa-
 bene memini, ceu rerum inferiorum summum
 gubernatorem, & venerati sunt, & colue-
 runt: cuique generationem largiti sunt, vim
 ex se genuinam habet & natiuum lumen,
 vnâ cum facultate qua actiones varias &
 multiplices perficit. Luna contrâ, tâmet si so-
 ror tradatur, & cum illo in eodem Latona
 ania tuæ vtero gestata. *AE S C.* Sic natura-
 lia corporum instrumenta, Solem illustrato-
 rem & fautorem agnoscentia, vim ex se con-
 genitam habent, qua actiones suas commodè

Animalis facul-
 tas & naturalis
 sopiri possunt
 salua vitali.

Soli ex se vis cõ-
 genita & lumẽ
 inest, Lunæ con-
 trâ.

Naturalib⁹ cor-
 porũ instrumen-
 tis ex se conge-
 nita vis inest: a-
 nimalibus con-
 trâ.

perficiunt. Animalia, Luna ex parte mancipata, contrā: tametsi in vno corpore, sedem vtraque habeant, & ab eodem gestentur baulo. Nam ex meo Galeno, cognatum sensus principium animalia instrumenta nequam admittunt: sed aliunde, veluti lumen Luna, illis suppeditarur, & adest. V. R. A. N.

Iouialis in celo natura, rebus terre admodum est benefica.

Aesculapi, planeta ille, quem tuus Mercurius in suo *ιατρομαθηματι* *αμαρετοιου* nuncupat, hoc est, sanguificum, dum in celo valet, temperata radiorum distributione, & saluari calore, inferiora quaeque, cum Sole, fecundat, Vegetat, & animat. Vnde Graecis *αεν* *αωης*, hoc est, a vita, Zeus: & Latinis Iupiter, quasi iuuans pater, nomen habet. Dum vero languet, in his omnibus parcius agit, ac remissius operatur.

Naturalis in homine facultas rebus corporis admodum benefica.

AESCV. Ingeniose quidem, Vrania, multis me oneras ut succumbam: insurgo tamen, & ut Palma, quanto onerosior, tanto Vegetior emergo. Itaq; naturale vim & sanguificam in hepate facultatem, omnibus a te propositis obucio. Quae dum in humano corpore valet, omnia temperata sanguinis distributione, & saluari calore, alit, fouet, ac sustinet. Dum vero languet, imbecilla fit, deprauatur, aut laeditur, vel sanguis ipse, cuius of-

ficina est illa, largius quàm par sit hauritur, hominem malè afficit: atque iamiam posita contrario modo agit: imò Verò vitæ periculum intentat. Quod vtrique verissimum esse, maximo suo malo (si tamen malum dicenda est mors) abundè fidem faciunt, qui peringentes & vndosas sanguinis profusiones, animam, vt canit poeta, cum sanguine fundunt.

V R A N. Moneo quidem aduersum te multa, Aesculapi, sed nihil vt vincam promoveo. Age, dum audis, imò Verò dum vides septem planetas, sedibus, motu, actionibus, & qualitatibus disclusos esse, mutua tamen conspiratione, duce solaris maiestatis ineffabili spiritu, sic inter se colligari, & concentu respondere, vt in conseruanda vniuersitatis rerum orbiculata (quemadmodum dicebat Socrates) cathena, modificãdisque inferioribus omnibus, nunquam aberrent: quid cogitationi meæ de numerosa humani corporis supellectile pro his representabis? *A E S C V L.*

Facultates tres humanum corpus dispensantes, Vrania, cum his quæ naturali subministrant, & ancillatur, numero quatuor, septenariũ cum iam dictis tribus simul efficiẽtes, quotus scilicet est tuorum planetarum ordo, vt antea dictum est. Nam illas in perfecto

Planetis mira inest concordia in discordibus naturis & locis, ad temperandã rerum inferiorũ vniuersitatẽ.

Facultatibus humani corporis mira inest concordia in discordibus naturis & locis, ad temperandã rerum corp. vniuersitatem.

animante, substantia, motu, actionibus, instrumentis, sede, & qualitatibus dissociari, nemo negabit philosophus, nedum medicus: mutua tamen conspiratione (natio calore duce cum suo spiritu) ad ultimam vsque vitæ periodon, humani corporis harmoniã tam belle tueri, & in seruandis, modificandisque illius rebus tam sedulo aduigilare, vt nihil su

Quelibet cœli planetã tria inseparabilia semper comitatur.

Quodlibet hu-

mani corporis instrumentũ tria inseparabilia semper comitatur.

prã, nihil melius. *V R A N.* Intelligis, *Aesculapi*, in quouis cœlorum planeta, motum, radium, & ex his defluuium, ad conseruandam rerum mundi numerosissimam sobolem, sic perenni federe inter se ligari & sociari, vt diuelli nunquam possint, nisi veniente mundi interitu, & vniuersali ruina quæ curæta obolebit. *A E S C.* Sic intelligis, *Vrania*, aut saltem scire debes, in quouis humani corporis instrumento, insitum spiritum, innatum calidum, & humidum primigenium vsuique fundamentum ac prima substantia, ad sustinendam & regendam rerum corporis œconomiam, sic inter se inuito federe conuenire, ligari & sociari, vt diuelli nunquam possint, nisi adueniente totius corporis interitu. Tanta enim tamque sibi consentiens, & continuata est illorum societas & harmonia, vt semper mutuas operas tradat: nihilq; vnum,

alterius ope destitutum efficere possit: perinde atque in caelo & stellis fieri necessario solet. V R A N. Diuine loqueris, atque erudite respondes, Aesculapi: sed à mathematicarum predictionum consultissimis didici, quod à Marte & Saturno planetis, ut loquitur Ptolemaeus, maleficis, quoties Sol & Luna inaspicata facie & radio pulsantur, aut cum his per magnas eclipses sinistrè copulantur, tum rebus, tum etiam corporibus detrimenta hinc maximè augurantur. A E S C. A consultissimo verum medicarum parente meo Apolline didici, Vrania, quod à bile flaua, & melancholico succo, noxiis humoribus & maleficis, quoties vitalis facultas, & naturalis (quæ in corpore se habent, ut in mundo Sol & Luna) exagitantur, pulsantur, & cum sanguine vitiantur, aut quomodocunque aliter, ut per febres (quæ fortasse in corpore se habent, ut in caelo eclipses) grauantur, & impediuntur: cum animis, tum corporibus mala grauisima promittunt, ac in augurantur. Quod tam verum esse existimare debes, quam memoratarum facultatum, vitalis (inquam) ac naturalis, Solem & Lunam fontes esse. In cuius rei fidem, Claud. Ptolemæi incomparabilis rerum cæli magistri verba hinc tibi sub-

A Marte & Saturno, Solis ac Lunæ harmonia turbari potest.

A bile flaua & melancholia, vitalis facultatis, & naturalis harmonia turbari potest ac vitari.

scribam: ὁ ἥλιός (inquit) ἔστι πηγὴ τῆς ζωῆς
 Δωόμεως, ἢ ἡ σελήνη, τῆς φυσικῆς. quod est,
 Sol fons est vitalis facultatis, Luna verò na-
 turalis. In quo præsens colloquiū tibi claudio.

Dialogus sextus, de applicatione in-
 nati Solis caloris ad natiuum huma-
 norum corporum calorem.

VRANIA.

NUNC demum illud verum esse
 intelligo, Aesculapi, quod vulgò
 dici solet, deorum filij omnia no-
 runt. Proximo colloquio, & item
 superioribus, rerum ex parte coeli à me pro-
 positarū similitudines & coaptationes cum
 his quæ sunt in hum. no corpore, non solum
 sagaci intentione, sed etiam mira animi au-
 ditate ex te audiui: cuperem deinceps reliqua
 eadem attentione auscultare. Quare per Hip-
 politum paternis imprecationibus ab equis di-
 laniatum, & Dianæ amictæ tuæ rogatu, abs
 te in vitam reuocatum: perque Androgeum
 Minois filium ab Atheniensibus interfectū,
 & vita itidem à te donatum, peto & obte-
 stor, ne mihi querenti & proponenti deesse

Velis. Certum est, Aesculapi, à Sole, cui cum calore lux est cõgenita, ipsam lucem non solũ defluere, sed & lumen ac splendorem: qui perspicua corpora collustrãs, illa non modo splẽdida, sed etiam lucida reddit, afficit in super, atque irradiat. A E S C V L. Sic, Vrania, certum est à sanguine, & natio calore lucidũ spiritum non solum defluere, sed cum eo occultum lumen aethereum adesse, quod omnes corporis partes collustrans, afficit, vegetat, ac suam lucem eis quodammodo impertit, perinde atque radius Solis in obiectum corpus cadens & illabens. V R A N. Quantum habes verborum, Aesculapi, tantum mihi exhibes admirationum. Ecce, Solarem teporẽ rursum obiicio, aut, si mauis, calorem, qui vniuersã inferioris naturæ est instrumentum planẽ diuinum, ac rerum omnium fomes sanẽquam salutaris. Ille, vim suam per singulas orbis terrarum partes, absque motu, quasi vehiculo impertire, & vnde quaque diffundere non potest, Huic, quid dabis simile in humano corpore? A E S C. In situm calorem, Vrania, qui rerum omnium corporis fomes est, ac portio de vniuersis præstantissima, quia cœlestis & aetherea. Illum in omnes humani domicilij partes permeare non posse, hũcque &

A solari radio, qui semper calet, lux mira & spiritus sanẽquã efficax dimanat

A sanguine, qui semper calet, & natio calore; spiritus sanẽquã efficax emanat.

Solaris calor absque motu & spiritu in res terre potest parum

Natiuus calor absque motu & spũ, in res corporis potest parum.

D

illuc momento diffundi absque vehiculo aliquo, certum est: quod equidem prisce, spiritum nuncupauerunt, poetæ auram ætheream, alij flammulam cœlestem, quidam radium diuinæ originis, & irrequieti motus: cuius vis, toti corpori (vti Solis vniuerso mundo) ad exercendas actiones idonea subministratur. Huius substantia, sicuti tenuissima est, pura, illustis, fluens, ætherea, astro persimilis, & vt vno verbo dicam, planè cœlestis, ita ab ipso calore (tanta est cognatio) nulla arte separabilis. Quæ duo sic connexa, & nodo plusquam Gordiano colligata, qui ab Hippocrate meo fluxerunt Academici, & cum his Galenus, nunc ignem, nunc calorem, & diuinum spiraculum appellare nihil sunt veriti. Peripatetici, calidum nonnūquam, aliàs naturalem calorem, aliquoties animæ & corporis vinculum, & quandoque post meum Hippocratem, spiritum: fortasse quòd visum fugiens, & sensum omnem latens, in vniuersam humani theatri compagem clàm spiret, perreptet, ac perflâtis modo, impetum faciat. Quibus concinunt Stoici, nisi quòd tum nature, tum animæ substantiam falsò esse putauerunt. *V R A N.* O eruditum sermonem! ô magnum mysterium! ô φιλοσοφώτατον

Deum! qui mathematicis medica, & philo-
sophica utrisque tam appositè iungit & ac-
curatè cõciliat. Sed dic, obsecro te per auream
istam barbam, Aesculapi, quid est quòd ge-
nitali Solis tepore, & calorifico spiritu quã-
diu fouetur telluris gremium, & è propin-
quiore loco potentius subigitur, validoque spi-
raculo salutatur, fructus suos tempestiuè illa
profert, & quidquid in ea iacet, salutari ca-
lore perfusum viget, nutritur, augetur, & si-
bi simile procreat? Dum verò ille idem vita-
lis calor distrahitur, & remissius spirat (quia
è longiore loco illapsus) in marcorem, & se-
minum abut? Dic, inquam, Aesculapi, quid hoc
sibi vult? aut quidnam simile habet in huma-
no corpore? **A E S C V L.** Natiuum calorem
cum suo spiritu, *Vrania*: qui meo Galeno, nunc
diuinum nescio quid, nunc fidelissimus vita
custos, & omnium naturalium actionum
opifex, quandoque verò anima, aut princeps
animæ instrumentum, & cœlestis ignis ger-
men quoddam, non tam est dictus, quàm ha-
bitus. Aristoteli stellarum quidpiam elemen-
to respondens: cui vnus maxime præest Sol.
Is tantisper dum suam harmoniam seruat,
& singulis partibus corporis (sive simplices
fuerint, sive compositæ, aut, si magis placet,

Solis calor cum
suo spiritu terrã
fouet ac vege-
tat.

Natiuus calor
cum suo spiritu
corpus fouet ac
vegetat.

similares, vel instrumentaria) quasi vitæ lucerna quadam præluce, functionum obeundarum liberam illis facit potestatem: omniâque in corpore viuere, alimentum trahere, cõficere, nutriri, augete, procreare, sensu affici, moueri, & cum vectore suo spiritu, quiduis exequi permittit. Dum verò parcius fouet, & imbecillior euadit, vitalesque suos radios languidius iaculatur & distribuit, hominem totum quantus est, emarcidum, & quasi tabe cõfectum relinquit. Qui si per magnas vacuationes, vt per effusum immodicè sanguinem in hæmorrhagiis implacabilibus, vel alio quouis modo diffugerit, corpoream molem, etiam si Miloniana esset aut Cyclopæa, tam facile prosternit, & funditus euerit, quàm muscam (quod dicunt) elephantus: nihil auxiliante ossium duritie, tendonum nexu, ligamentorum tenacitate, & musculorum pulpa. Quæ omnia natius ille & vitalis calor cum suo spiritu sustinet ac fouet. In quo, Vrania, diuinam prouidentiam satis admirari quis sufficiat? V R A N. Paucorum sanè deorum deus es, Aesculapi, qui in

Solaris calor cū res humani corporis tam altè penetraueris. suo spiritu, cœli & terræ coniugium firmat. Sed heus tu? Solaris vnus calor, cœli & terræ harmoniam, de omnibus maxime conti-

net ac tuetur: coniugiumque inter illos à posi-
tis mundi fundamentis ininitum optimè firmat,
& ut facialis quispiam socia fœdera tra-
ctat. *AE S C. Sic, Vrania, natiuus calor, om-* Natiuus calor
nium corporis facultatum harmoniam, nec cum suo spiritu,
non animæ & corporis coniugium fouet, & corporis & ani-
gratisimo vincula tantisper vtrunque so- mæ coniugium
ciat & alligat, dum Deo Opt. Max. illud firmat.
soluere visum fuerit. V R A N. Tibi inau- Vi solis vapores
ditum non est, nec item nouum, Aesculapi, ad aërem perla-
quod vi Solis ex humidis terræ locis vapores ti, humiditates
sursum rapiuntur: qui postea loci frigiditate deorsum effun-
addensati, in nebulam aut nubem facile co- dunt.
guntur, quæ tandem soluta pluuiam deorsum
longè latèque stillat. AE S C. Sic inauditum Vi natiui calo-
tibi non est, nec item nouum, Vrania, quod ris vapores ad
vi natiui caloris, qui (ut millies dixi) Solem cerebrum mit-
fautorem agnoscit, ex humidis corporum par- tuntur, qui humi-
tibus, nec non ex ingesto cibo & potu, ex he- ditates & ca-
patate, ventriculo, venis, aliisque vasis & lo- tharras deorsum
cis, vapores sursum ad cerebrum mittuntur, refundunt.
qui postea loci frigiditate condensati, in pi-
tuitam ceu pluuiam quandam abeunt: quæ
postea deorsum in subiectas partes variè ef-
funditur, decerrat, & illabitur. V R A N. Re- Sol in quascūq;
ctè sanè. Sed Sol sua leuitate, tenuitate, rari- terræ partes ra-
tate, splendore, motu, radio & perspicuitate ras, densas, &c.
labitur & meat.

in omnes terra & aqua partes vel quātum-
uis exiguas, magnas, profundas, superficia-
rias, raras aut densas pervadit: easque pro sua
& illarum natura variè mouet, afficit, exer-
cet ac agitat. *AES C.* Ita æthereus & nati-

Natiuus calor in quacūq; par-
tes corporis la-
bitur & permeat
uus humanorum corporū calor, sua leuitate,
tenuitate, raritate & motu in omnes corporis
partes quantumuis exiguas, magnas, profun-
das, superficiarias, raras aut densas facile per-
uadit, ac promptissimè penetrat: easque pro
sua & illarum natura, variè afficit, mouet

Solaris calor ac agitat. *VRAN.* Breuis ero, *Aesculapi.*
paucis diebus Solaris calor diebus pauciss, imò Verò horis
multa in rebus id efficit, quòd vel ingentissimi ignis aut rei
terra operatur. alterius aëlio & facultas, etiam multis an-
nis, non dicam exequi, sed ne quidem ag gredi
sustineret. Nam ex paruolo semine, ut ma-
iora taceam, stirpem facit: & rursum ex ea
florem producit: deinde ex illo fructum co-
quit, in quo ipsummet est semen quod sui ge-
neris stirpem aliam edere natum est: ne rerum
pereat vniuersitas: non sine diuino, planèque
Veneràdo Dei Opt. Max. beneficio. *AES C.*

Natiuus huma-
norū corporum
calor paucis ho-
ris multa in re-
bus corporis o-
peratur.
In hunc ferè modum natiuus humanorum
corporum calor cum suo spiritu, germen verè
celeste & diuinum, paucis horis id efficit,
quod maximi ignis, vel rei alterius præstan-

tiſſima energia, longo tempore, imò verò nūquam perfecit. Nam ex pane, carne, piſce, olere, aqua, vino (vt alia taceam) chylum facit: & ruruſum ex eo ſanguinem elaborat: ex quo ſingularum partium corporis fluor omnibus horis inſtauratur: & quod deperditum eſt, reparatur: poſtremò, genitale ſemen ex illo eodem (ſuffragante toto corpore) elicit: quod ſui generis corpus aliud, ne hominum vniuerſitas pereat, edere aptum eſt: non ſine inenarrabili omnipotentis Dei miraculo. *V R A.*

O incomparabilis philoſophi ac medici magni & eruditum reſponſum! Sed fare age, ò bone Aeſculapi? his locis in quibus ſolaris calor deſideratur, languet aut imbecillus eſt, multa deſiderari certum eſt: imò verò ibi omnia languere, proſterni, ac marceſcere.

A E S C V. Ita his corporibus in quibus natius calor languet, aut imbecillus eſt, facultates omnes & actiones, ſiue internæ illæ fuerint, ſiue externæ, læguere ac proſterni notum eſt: imò verò corpus ipſum totum tabeſcere.

V R A N. Nouit vel media de plebe populus, quòd Sole à Capricorni tropico emergente, & veluti gradibus quibusdam atque atibus per vernum Aequinoctium, ad æſtimate Solſtitium aſcendente, vigorem in terra

Vbi Solis calor deſideratur, ibi languida ſunt omnia.

Vbi innatus calor deſideratur, ibi læguida ſunt omnia.

Solis per quatuor zodiaci cardines peragratio, res terræ variè afficit ac mutatur.

accipiunt omnia: tunc enim plantæ pullula-
 scunt, germinant stirpes, florent herbæ & ar-
 bores: fructusque edunt in usum hominum:
 foras item prodeunt animalia quæque: collu-
 dunt, & in Venerem furiasque ruunt: paucis,
 in terra variæ rerum species, motus & actio-
 nes tum sese produnt ac manifestant, pro cu-
 iusque modulo ac natura. Hinc verò, hoc est
 ab æstivali Solstitio per autumnale Acqui-
 noctium ad eundem brumalem Tropicum de-
 scendente illo, omnia contrario se habere mo-
 do, nullus est qui non videat. Nam vniuersa
 terræ facies tunc habitum à priore longe di-
 uersum induit: vnde languere occipiunt rerum
 eius actiones omnes: marcescunt plantarum
 venustates, decidunt folia, nudantur rami,
 corrugantur cortices, pereunt terræ vires, ge-
 mynt auiculae, latebras queritant animalia,
 atque à ludis & Venere abstinent, pigram
 quietem agendo: in summa, facies omnis ter-
 ræ quasi moribunda triste quiduis præ se fert.

ÆSCV. Sic natiuo humanorum corpo-
 rum calore à pueritia, ceu gradibus quibus-
 dam per adolescentiam in iuuentutem ascen-
 dente ac inualescente, vigorem in corpore ac-
 cipiunt omnia. Nā tū facultates, & quæ illis
 subministrant ac ancillatur, vegeta sunt &

Natiui calor
 per quatuor vi-
 ta: ætates pro-
 gressio, res ani-
 mi & corporis
 variè afficit atq;
 immutat.

fortes. Vnde pili in corpore pullulae sunt, genæ pubescunt, florēt studiis homines: eorūmq; fructus in ciuitatum vsum depromunt, labores sustinent, Veneri & proli indulgent, colludunt, saltant, & vt paucis colligam, Varias actiones cum animi, tum corporis exercent: pro cuiusque modulo & natura. Hinc verò, hoc est, à iuuentute per senectam in decrepitam ætatem dilabente illo, omnia contrario modo se habere quàm prius, nullus est qui non obseruet. Nam vniuersa corporis facies tunc habitum à priore longè diuersum circumfert. Vnde languere incipiunt rerum corporis actiones omnes & facultates cum suis ministris: naturalis, vitalis, & animalis labascunt vires, perit venustas, desluunt pili ac canescunt, nudatur cranium & caluescit, cutis in rugas contrahitur, gemitus oboriuntur, latebras & solitudinem queritant homines, à publicis negociis, ludis item & Veneri abstinēt, atque partis vtentes desidem vitam agunt: in summa triste quiduis, ceu moribundi, obeunt, ac præ se ferunt. V R A N. Idem solaris calor cum suo spiritu, Aesculapi, partibus omnibus terræ ex multiformi materia confusis, non quiduis, sed quod illis est familiare instillat ac largitur: quibusdam Vina, nonnullis

Solaris calor rebus terræ quod familiare est de superinfundit.

Cererem, aliis poma, nuces, odores, & ita deinceps. *AE S C V L.* Sic insitus corporum calor cum suo spiritu, quem (vt dixi) perpetuum habet comitem, rebus humani domicili, & partibus eius omnibus ex multiformi materia confusis, non quiduis, sed id solum quod cuique ex vsu est, & accommodatum largitur ac impertit: Vētriculo coctionem, hepatis sanguinis elaborationem, & ita de reliquis. *V R A N.* Nunc demum futurum spero, vt dicas rem tibi cum rustica non fuisse, quin potius cum astronoma & philosopha.

Natiuus calor rebus corporis quod est familiare impertit.

Solaris calor omnia fouet & alit.

Agē itaq; ille idem solaris calor cum suo spiritu in vastam rerum mundi inferioris multitudinem, tam intra terram, quam extra, per certos meatus & cuniculos effusus, via omnem sensum fugiente omnia ibi contemperat, vegetat ac sustinet. Huic ecquid dabis

Natiuus calor omnia fouet & alit.

simile in humano corpore? *AE S C V L.* Illum eundem insitum calorem cum suo spiritu, *V r a n i a.* Nam per certos Venarum & arteriarum meatus (cuniculos dicas) in numerosam rerum corporis multitudinem, tam intra, quam extra effusus, via omnes obseruantes fallente ibi omnia contemperat, fouet ac sustinet. *V R A N.* Mundi partes, *Aesculapi,* quæ à Solis curriculo, aut, si manus, Signi-

fero longè lateque recedunt (cuiusmodi sunt extrema septentrionis & meridiei) minus recipiunt de aethereo Solis calore, ac vivifico eius spiritu, quàm quæ illi proximius hærent.

A calore Solis remotæ mundi partes parû habent caloris.

ÆSCVL. Ita corporis partes, Vrania, quæ à cordis theatro (in quo triumphat natiuus calor cum suo spiritu) longè lateque recedunt, ut sunt capitis, brachiorum, ac pedum extrema, minus habent caloris, quàm quæ illi adherent, vel non tam procul absunt.

A natiui caloris fonte remotæ partes parû habent caloris.

VRAN. Adhuc lapillos aliquot mouebo, ut tibi negocium faceßam. In omnibus mundi partibus non ex æquo viget, valétque Solis calor cum suo spiritu: vnde similia vbiq;

Solis calor vbiq; non est idè, nec ex æquo viget.

non edit. Nam aliter agit, atque alia operatur in res orientalium quàm occidentalium: adhæc meridionalium, quàm septentrionalium: ex quo vtrouique emergunt variæ & dissimiles cùm rerum, tum hominum, & item animalium effigies ac naturæ. **ÆSCVL.**

Multa quidem moues, Vrania, sed nihil promoues. Oppono isti tuæ propositioni dictum calorem natiuum cum suo spiritu: nam in omnibus mortalium corporibus, eorûmq; partibus ex æquo non viget, valétque: vnde similia vbiq; in illis non edit. Aliter enina in corpus Viri, quàm femine agit: necnon

Natiuus calor in corpore non ex æquo vbiq; viget.

adolescentis, quàm senis: quare vtroque di-
uerse ac dissimiles actiones, res item & mo-
Solaris calor tus sunt atque emergunt. *V R A N.* Idem so-
quãdoq; igneus laris calor statis annorum reuolutionibus &
& intolerabilis. stu vsque adeo intolerabili nonnunquam ef-
feruescit, vt non solum terræ actiones, sed re-
rum eius partes solidas nedum humiditas per-
dat, ac genita quæque bona ex parte ad in-
teritum perducatur. *AE S C.* Sic humanorum

Natiuus calor corporum natiuus calor ita aliquando effe-
quãdoq; igneus uescit, exacerbatur, & in igne furia;sq; abit,
& intolerabilis. vt non solum corporis actiones & faculta-
tes labefactet, sed etiam spirituosas partes &
solidas nedum humiditas perdat, exhauriat, &
ad interitum deducat. Quod in febribus ar-
dentibus, & quæ illis plurimum succedunt
hecticis vero verius euadit. *V R A N.* Bene

Solaris calor actiones varia quidem, *Aesculapi,* & erudite. Verum enim-
sunt & opera. uero, solaris calor in certis locis efficit vt albi
sint homines: in aliis fusi & nigri: in qui-
busdam rubicundi, rufi, &c. pro maiori illius
incremento & detrimento. *AE S C.* Ita nati-
uius corporum calor, *Vrania,* in certis corpo-
ribus efficit, vt quedam sint alba, alia fusca
& nigra, nonnulla rubicunda, &c. pro illius
copia vel inopia, incremento vel detrimento.

Natiui calor actiones varia sunt & opera. Quamquam medicos meos ad humorum sub

cute latentium & redundantium id etiam
 rectè accommodare scio. *VRAN.* Probo quæ
 dicis ac laudo, *Aesculapi.* Sed quid hoc quòd
 illemet Solis calor prout validior est aut im-
 becillior, efficit ut loca quædam fœcûda sint,
 alia sterilia, nonnulla fœtida & tristia, alia
 bene olètia, incunda ac plausibilia? *AE S C.*
 Quid hoc, *Vrania*, quòd innatus humano-
 rum corporum calor diuinus ac æthereus, pro-
 ut validus est aut imbecillus, efficit ut cor-
 pora alia vegeta sint & fœcunda: alia lan-
 guida & sterilia nonnulla putria, tristia &
 fœtida, si paucus sit, idèmq; languidus, &
 ad ingestorum coctionem longè impar: mul-
 ta insuper bene olentia, incunda ac leta, si
 probè cibos conficiat, nullas cruditates relin-
 quat, & ex chylo sanguinem laudabilem ela-
 boret. *VRAN.* Sic esse arbitror, *Aescula-
 pi.* Cæterùm, Solis ille idem calor, aut (si vis)
 tepor, magnum naturæ seminarium *Acade-
 micis* nuncupatus: qui corpus quidem non est,
 quin potiùs cœlestis qualitas quædam, essen-
 tia suæ tenuitate, ad penitissimos vsque ter-
 ra, & aquæ recessus, per superiora elementa,
 cæca omnibus via, sese insinuat, ac vires exer-
 rit. *AE S C V L.* Natiuus corporum huma-
 norum calor, *Vrania*, qui cum suo spiritu cor-

Solaris calor
energia multi-
plex.

Natiui calor
energia multi-
plex.

Solaris calor
vis mira & pe-
netrabilis vsque
ad intima terræ
& aquæ.

Natiui calor
vis cum suo spi-
ritu vsq; ad inti-

mas carnis & ofpus non est, sed huius tui solaris teporis sobo-
fium partes pe-les, & germen, ad intimam vsque ossium
netrat. medullam, & profundissimas rerum corporis

latebras, vt antea dictum est, cæca omnibus
Via, sese insinuat, vires exerit, ac trāsfundit.

Solis calor & V R A N. Ille idem calor, solaris inquam,
splendor sua præ- vt ab eo non recedam, semper est (nisi fortas-
sentia terrā fo- se impeditus) cum splendore: tandiu à suo ex-
uet ac temperat

ortu nos illustrans & fouens, donec Sol ipse
suum radium subduxerit, & à nobis fugiens,
tenebras luci contrarias, deorsum pepererit.

AE S C. Mirarer, nisi cælestis esses, Vrania,
tantum eruditionis philosophicæ in foemina

Natiuus calor posse reperiri. Age: natiuus calor, qui semper
cum suo spiritu est cum spiritu & splendore quodam, ista om-
sua præsentia cor- nia quæ de Sole modò attulisti, in humanis
pus fouet ac tē- corporibus molitur. Nam illorum vitam ab
perat.

exortu & natiuitate tandiu fouet, donec eius
vibratio, radius, præsentia, actio, & spiracu-
lum, inde euauerit: ac mortis tenebras (in
suam familiam reuolans) immiserit: vt calor
ipse cum sui spiritus radiatione, sit quodam-
modo corporis lux & vita, sicuti Sol mundi.

V R A N. Pauca supersunt quæ hîc tibi pro-
ponam, Aesculapi: solaris calor ad rerum in-

Solaris calor, tē- perato Iouis te- feriorum generationem & modificationem,
pore, recreatur: temperato Iouis tepore de omnibus stellis, si-

cuti adnotarunt prisci, maximè gaudet, ac recreatur. *AESCVL*. Sic natiuus humanorum corporum calor, vitæ pabulum omnium præstantissimum, vnà cum vectore suo, & perpetuo comite spiritu, temperato sanguine (in quo eius subiectum meus statuit Galenus) ad res corporis modificandas, & sustinendas maximè gaudet, atque recreatur.

Natiuus corporum calor temperato sanguine recreatur.

VRAN. Hoc solum restat isto colloquio:

Solaris calor, qui totus est in spiritu, à cælo in sibi suppositam mundi vniuersitatem diffusus, naturales rerum omnium facultates in alendo, vegetando, operando, aut quomodo-cunque aliter agendo fouet, regit, & excitat: se rebus omnibus sic accommodans, sic singulorum naturis inseruiens, vt quantum cuiusque conditio, & facultas desiderat, quantum ipsa subiecti præparatio ferre potest, tantum exhibeat & infundat. *AESC*. Ad hunc

Solaris calor & spūs, rerū terræ facultates omnes ad actionē præparat & excitat.

ferè modum, natiuus humanorum corporum calor, qui totus meo Galeno & medicorum filiis est in spiritu, facultates corporis omnes, atque adeo naturalem, ad opus excitat, & in cibo attrahendo, retinendo, coquendo, distribuendo & assimilando firmat, roborat, & adiunat. Rebus omnibus corporis sic se accommodans, sic singulis organis inseruiens, vt

Natiuus corporum calor vnà cū suo spiritu, res corporis & eiusdem facultates omnes, ad opus præparat & excitat.

HARMO. HVM. CORP. ET COELI.

quantum cuiusque facultas expetit, tantum exhibeat, & gratis impertiat.

Dialogus septimus, de Solis cum corde humano aptatione.

VRANI A.

DISPHEREAM, Aesculapi, si unquam credidissem tantum harmoniae inesse humano corpori cum caelis. Fac, obsecro te, per tuum lucum Epidaurensem, in quo neque mori quisquam potuit, neque grauida mulier parere, ut reliqua deinceps eadem facilitate intelligam. Rursum itaque, imò verò decies, & centies (nihil re-
 Sol motu suo, & fert quoties, modò bene, & appositè) Solem vitali spiraculo res mundi omnes perfundit & proponam: quem prisca nihil latere, nihilque inspirat. fugere scripserunt, ac semper iuuenem, semperque renascentem perhibuerunt. Hunc motu & radio, inferiora ac superiora quæque temperare, fouere, ac vitali spiraculo perfundere, non tam est traditum, quàm de experientia cuique cognitum. Quod tametsi ad alia paulò antè est detortum, nihil moueberis si ad præsentem sermonem accommodabitur.

ÆSCVL. Pro tuo iure, quæcunque voles, apud me potes, Vrania. Itaque tuæ positioni aptare studebo cor humanum, fabricæ corporis. si Peripateticis credis, fundamentum primum, & columen adprime suspiciendum. Quod vitali spiraculo, & pulsante motu, tam ei subiectas, quàm superpositas corporis res omnes perfundere, & arteriarum adminiculo, inspirare & vegetare, non tam est scriptum, quàm de experientia compertum.

Cor humanum motu suo, & vitali spiritu, res corporis omnes perfundit ac inspirat.

VRAN. Idem Solis motus, inferiora perpetuo radio pulsans, & ubique res mundi omnes illustras, cui indefessus comes est spiritus, si vel intermitteretur, vel penitus à mundo subduceretur, nullum neque animal, neque planta, quemadmodum tuus scripsit Galenus, vel momento stare posset. ÆSC. Sic, cordis perpetuò pulsans motus per suas & arteriarum systolas, necnon diastolas, cui indefessus comes est vitalis spiritus, si intermitteretur, vel penitus à corpore subduceretur, nullum neque viscus, neque membrum stare posset, vel quoquomodo vivere. VRAN. Sanè acutus es, & in respondendo sanè quam ingeniosus, Æsculapi. Sed ipse idem Sol, salutaris caloris inexplicabili diuinæ providentiæ consilio, fecundissimum habetur promptuarium,

Solis motu & spū nō potest cære mundus.

Cordis motu, & vitali eius spiritu non potest cære corpus.

Sol salutaris caloris ac vitalis est fons.

rebus terræ gignendis, alendis, ac temperandis spiritum viuificum, & merè athereum instillans. Cuius fons inexhaustus, & vbiq; fluens, ac omnia irrigans, cum dicto sole quotidie circumfertur. Huic quid simile gerit humanum corpus? *AE S C.* Cor, Vrania, quod equidè vitalis caloris diuinū est armarium, rebus corporis tēperandis, fouendis ac alendis, spiritum verè coelestem & athereum emittens. Cuius fons limpidus & aureus res omnes corporis perfundens, cum dicto corde quotidie circumfertur. *V R A N.* Præsente Solis benefico lumine, & salutari radiorum eius distributione, terræ partes omnes suis muneribus, quasi præsente patrefamiliâs, quotidie bellissimè vtuntur: ac detrimenta, si quæ habet, aut illi intentantur, facile agnoscunt. Eiusdem absentia aut laboribus, omnia imbecilliora euadunt. *AE S C.* Sic præsente cordis salutari pulsatione, necnon valente vitali facultate (quæ ex corde pendet, perinde atque à Sole radius) corporis partes omnes, veluti superstitè in familia parente, suas actiones & munera probè obeunt. Contrario se habente modo, hoc est, laborante eo, omnia imbecilliora euadunt. *V R A N.* Paucis multa complecteris, *Aesculapi*, mēque in proponendo

Cor vitalis caloris ac benefici est fons.

Solaris caloris actio & præsentia rebus terræ cōfert, absentia incommodat.

Cordis actio & eiusdem calorigici spūs præsentia, rebus corporis commodat, absentia incommodat.

iamiam sollicitam reddis. Insistam tamen, atque eundem Solem tibi producam: quem de fixorum aliquot siderū, & item planetarum radiatione, intemperie, aspectu, pulsatione, natura, ac laboribus, de cardine sui temperamēti posse auerti, impediri, aut saltem mutari, (tametsi Homero cœli rex dicatur) solennēque decretorum suorum vires per aërem ex æquo non semper obire, fidem inexpugnabilem hactenus fecerunt, quum alia permulta, tum mutationum aëris annuæ observationes, & quatuor tempestatum anni cōstitutiones sepe numero præpostera. Quæ si de Sole penitus penderent, sibi similes & constantes utique essent: cum uniformem & motum, & locum ferè vnoquoque anno in suo orbe ille teneat, ac habeat. Quid his de tota humanorum corporum familia oppones, diuine Aesculapi? **AE S C.** Humanum cor Vrania, sicuti persuadebunt quotidiani casus, & velis nolis fateri coget experientia, rerum incertarum certissima magistra. Nam licet insiti caloris corpus sustinentis fomes sit, & origo: adhæc partium omnium corporis, Peripateticis, prima & nobilissima, vitæque prætorium maiestatis plenum: ac spiritum cella veluti præptuaria, necnon vitæ domicilium: nihilomi-

Sol de aliorum siderum intemperie & laboribus præpediri potest, vel inturbat bari.

Cor humanum de aliorum viscerum intemperie & laboribus præpediri potest vel inturbat bari.

nus, de aliorum viscerum intemperie, morbo, offensa, vitio, & pulsatione, ob viciniam, Vinculum, sympathiam, & contubernij foedus, de sui temperamenti harmonia intercideri posse, & consuetarum operationum nihil obliuisci, tam est certū, quā quod ma-

Sol in cælo iustam & debitam sedem habet.

xime. *V R A N.* Vbiq̄ue magnus es: sed Solem in cælo si posueris inferius, vbi nunc est Luna, ardebunt inferiora. Si verò superius,

ad Pyroentis, vel Phaëthontis regionem, nulla terra pars inferior vitalis erit, ac habitabilis, propter vim frigoris: vt ad verbū tuus scripsit Galenus. *AE S C V L.* Agnosco incomparabilis mei Galeni & sententiam, & Verba: licet Græcè fuerit loquutus, *Vrania.*

Cor in humano corpore sedem iustam & debitam habet.

Sic, in humano corpore si ipsum cor inferius posueris vbi nunc sunt genua, calebunt inferiora ob viciniam. Si verò superius ad capitis regionem collocaueris, nulla corporis portio inferior vitalis erit, propter caloris penuriam: cuius promptuarium verè diuinum est cor. Merito itaque (quemadmodum postea ostēdam) medium ferè locum in corpore, perinde atq; Sol in cælo, sibi coaptauit. *V R A.* Utinam tam prompta essem in proponendo, quā tu in respondendo. Hoc cum reliquis mihi dilue. Sol à planetis qui illum hinc inde

stipant (ut regem satellites) quotidie certa of-
 ficia & ministeria ad rerum mundi guber-
 nationem, statum ac modificationem recipit.
 habetque illos consortes & collegas, potius
 quam subsidiarios, vel auxiliares. Quod mi-
 hi negare si perrexeris, proferam Mercurij cō-
 temporanei tui testimonium. Mens & lux
 (inquit) cum verbo suo septem deinceps fa-
 bricavit gubernatores, qui circulis mundum
 sensibilem complectuntur, illorumque dispo-
 sitio Fatum vocatur. *AE SCVL. Tametsi*
 Virges, Vrania, idcirco nondum vincis. Oppo-
 nam ipsummet humanum cor: quod equidem
 certa officia & debita ministeria à præcor-
 dis & visceribus, quæ hinc inde assident,
 & susque, deque (ut comites principem) illud
 stipant, excipere tam probatum (opinor) ha-
 bes, ut amplius à me probari nolis. Nec rur-
 sum ostendere, ad rerum corporis moderatio-
 nem illa ipsa viscera pro consortibus & col-
 legis agnoscere potius, quam pro subsidiariis,
 & auxiliariis. Quod negare si contēdis, ad
 ea quæ à me superius dicta sunt, & deinceps
 dicentur, te placide remittam. *VRATA. Tam*
 facile tibi aſſerio, & ex animo credo, Aescu-
 lapi, quam Delphico patris tui oraculo. Sed
 illud mihi interim in mentem venit. Radio-
 E ij

Sol aliarū stel-
 larū adminicu-
 lis vitur in tem-
 perāda rerū mū
 divniuerſitate.

Cor hum. alio-
 rum viscerū ad-
 miniculis vitur
 in tēperāda re-
 rum corporis v-
 niuerſitate.

Solis æstum tē-
perat Luna. rum Solis æstum & ἐπιβεβύκα, per aërem
diurno tempore sparsum, à frigida & hu-
mida Luna ἰδιουνοχολα per noctem fran-
gi, vel saltem mediocriter temperari, ab om-
nibus est obseruatum. *AE S C.* Sic cordis hu-

Cordis æstum
temperat cere-
brum. mani æstum & feruorem (nam ex meo Hip-
pocrate cor semper feruere oportet, reliquas
partes non frigere satis est) à cerebri frigi-
ditate, & penè dixerim humiditate modi-
ficari, negatum non est. Quod postremum,
sicuti Luna suum agnoscit, ita prius Sol: què-
admodum antea à me probatum est, & post-

Sol suum mo-
tum nunquā in-
termittit. hac planiùs demonstrabitur. *VRAN.* Me
hic dies potiùs deficiat quàm verba, *Aescu-
lapi.* Sed tuus Sol *Areopagitæ* *Dionysio* per-
spicua dei statua nuncupatus, die, noctèque
suum motum rebus mundi necessarium, nun-
quam detrectat: nec ullam officij sui inter-

Cor suum motū
nūquam inter-
mittit. missionem facit. *AE S C.* Leue est quod ad-
fers, *Vrania:* nam cor rerum omnium corporis
pars, vt dixi, nobilissima, & ob id principi
Soli (ab antiquis coeli cor appellato) tanquam
princeps tacito connubio sociata, quidquid id
est quod nunc proposuisti, ob oculos expedi-
tissimè ponit. Illud enim nullo tempore, siue
diurnum fuerit, siue nocturnum, à motu rebus
corporis necessario, nec item à pulsatione per

arterias conquiescit, nec ullam officij sui intermissionem facit. *V R A N.* Theseo aliquo deinceps, Ut video, mihi opus erit. Sed quid hoc, Aesculapi? Diuinus ille idem Sol, à tuo Galeno sydus honoratissimum nuncupatus, & à Iulio Firmico Optimus Maximus, inter septem errantes stellas, teste eodem Galeno, locum qui virtutis est, medius obtinet: suos satellites (planetas inquam) tam sursum, quam deorsum, vbiunque, & quoties desideratū erit, pro rebus mundi paratissimos & instructissimos habens, ac intuens.

Sol in medio
planetarū iacet.

A E S C. Sic humanum cor, Vrania, viscerum omnium, viscus nobilissimum, in medio omnino thoracis sinu collocatur. Qui locus,

Cor in medio
thoracis iacet.

Ut meus tradit Galenus, ad firmitatem aptissimus est, & ad equabilem cum toto pulmone refrigerationem sanè quam opportunus: vbi tam sursum quam deorsum, vbiunque & quoties desideratum erit, instructissimi & paratissimi pro rebus corporis, illi a Sidèe satellites, viscera nimirum. *V R A N.* Nullus est deorum, Aesculapi, nedum hominum, cuius sermones libentius excipiam. Ceterum, Solis motus & planetarum, qui mundo equè necessarius est atque perpetuus, à nemine mortalium sedari potest, imò verò ne quidem im-

Solis motum &
planetarum se-
dare nemo po-
test.

pediri, nisi corruente, & suum finem habente tota rerum mundi vniuersitate: si fieri quidem id posset vi humana. *AE SC.* Eadem via, Cordis motus, & arteriarum pulsatio, vitæ humanae æque necessaria ac perpetua, si secundum naturam se habuerit homo, à nemine sedari, imò verò, ne impediri quidem potest: nisi corruente, & suum finem habente, tota rerum corporis vniuersitate. *VRAN.* Prospice tibi, Aesculapi, nam graue nescio quid ac difficile tibi propono. Si quando saluari Phœbi calore, & lumine, quæ duo simul sunt, inferiora priuari contingit (quemadmodum fit per illius labores) aut ipsum Solem quouis alio modo affici, vniuersam mundi machinam, atq; adeò terram ipsam in sympathiam venire, & hinc detrimenta suis rebus male metuere, philosophiæ elementario cuique notissimum esse arbitror, nedum tibi, in rebus coeli & totius naturæ exercitatissimo. Cui rei, quid dabis in humano corpore simile?

Cordis motus & arteriarum sedare nemo potest.

Solis labores rebus terræ incommodant.

Cordis labores & affectus rebus corporis summo pere incommodant.

AE SCVL. Iam centies memoratum cor, *VRANIA*, quod equidem insignem laborem si sustinuerit, aut parte aliqua vntionis suæ solutionem acceperit (nisi fortasse in cono, & turbinato eius mucrone infra leuam papillam, qua parte basi est paulo carnosius) vel

alio quouis modo affectum fuerit, & de sua
 symmetria, quasi de gradu turbatum, parti-
 culas humani domicilij omnes, imò verò ip-
 sum domicilium totum, quantum est (quòd
 cor actionem toti corpori, perinde atque Sol
 mundo vniuerso, communem habeat & ne-
 cessariam) illico in sympathiam venire, con-
 dolere, trepidare, ab officio cessare, & si per-
 seueraverit, illi tandem commori, luce meridia-
 na clarius euadit. Nec temere, mea quidem
 sententia: cum post meum Hippocratem, qui
 non tam fallere (vt est apud Macrobius)
 quàm falli nouit, meus itidem Galenus scri-
 bat, humani corporis operosum theatrum, ea
 arte esse architectatum, vt vna illius agita-
 ta particula, offensa, vel pulsata, reliquæ om-
 nes facile moueantur, & in assensum cum
 auxilio ex tempore accurrant. Quod facere in
 toto si aggreditur unguis, corporis portio ab-
 iectissima, (si tamen inter illius partes habẽ-
 dum censet) si digitus, si neruulus, si intera-
 neorum aliquod si dens, si pilus, nihil cum to-
 to corpore gerens commune, quid à corde, par-
 tium omnium corporis præstantissima, &
 vitam humanam in se claudente, fieri mihi
 donabis? *V R A N.* Quæ in labris natabant,
 Aesculapi, dum doctissimis tuis responsioni-

Solis motu & planetarū pulsa-
 tiōe indiget par-
 tium terræ vni-
 uersitas.

*bus animam intendo, effugerunt, ac præter-
 uolarunt. Illud interim succurrit, quanquam
 fortasse prius dictum: Solis & planetarum
 motu, necnon pulsatione, & perpetua radio-
 rum vibratione, rerum sublunarium vniuer-*

Cordis motu & arteriarum pul-
 satione indiget
 partium corpo-
 ris vniuersitas.

*sitas carere non potest. AE S C. Ita cordis mo-
 tu, Vrania, ut iam millies est cantatum, &
 aspiratione eiusdem, necnon perpetua ex illo
 arteriarum pulsatione, humanum corpus ca-
 vere non potest. In cuius rei fidem, te quasi ma-
 nu adducunt arteriarum interceptiones: quæ
 aut vinculis, ut meus habet Galenus, aut a-
 liis causis factæ, quia per has cordis aspira-
 tio prohibetur, mox animal tanquam attoni-
 tum, inutile, & mortuum, repentino lapsu red-
 dunt, vel saltem repræsentant. Quod de experi-
 entia tibi manifestum relinquatur. V R A.*

Sol duos habet
 in cælo motus
 & orbis.

*Hoc postremum restat, Aesculapi: Sol duos
 habet orbis, & totidem motus à se inuicem
 discretos: quibus aurigantibus, tam sursum
 quam deorsum suos radios, & aspirationem,
 ad rerum modificationem dispergit, & qua-*

Cor duos habet
 motus, & orbi-
 culatas totidem
 capsulas.

*quauersum fundit. AE S C. Cor, per systolen
 & diastolen, contrarios habet duos motus,
 Vrania, & totidem orbiculares ferè capsulas
 à se inuicem discretas. Ex quibus insignes ra-
 mos venæ arteriosæ, & arteriæ venosæ, atq;*

ex his propagines immensas (radios esse indices) vndique spargit, & ad modificandam aspiratione sua vitali, rerum corporis vniuersitatem, quaquaersum fundit.

Dialogus octauus, ex quo habetur collatio naturæ stellarum cœli, cum humani corporis humoribus.

VRANIA.

NACTA occasionem, Aesculapi, qua per tuam clementiam tecum hodie liberè colloquar, vrgerè, instare, & multa proponere non cessabo, donec factum mihi satis intellexero, ad perfectam cognitionem harmoniæ cœli & hominis. Dic itaque per istud tuum caluitium (quanquam in Epidauro comatus coleris) quid sibi vult, quòd saturninæ frigiditatis & ariditatis obstinatâ peruicaciam coercet, obtundit, ac tepescit hospitatoris Iouis temperata caliditas & humiditas? adeo, vt cum illius frigidus, pugnet huius calidum, & cum sicco, humidum. Eia, quid isti rei oppones simile in humano corpore? **AESCUL.** Paucis responderem, Vrania, nisi absurditas

Saturni intèperies à téperato Ioue mitescit.

rerum quas hic tibi sum oppositurus, vocem mihi præriperet. Verumenimvero, quoniam primo hodiernæ diei colloquio, in eam rem tecum modestissime sum præfatus: tuque mihi quicquid libéret, idem ut liceret candidè condonasti: seruato ubique, quoad eius fieri poterit, tuarum, mearumque rerum decoro, in gratiam cœptæ demonstrationis, hoc colloquium & alia quotquot voles tibi cōcedere, nec gra-
 uabor, nec detrectabo. Obiicio itaque his quæ
 iam iam mihi proposuisti, melancholicum
 succum: cui veneranda antiquitas, in huma-
 no corpore, tuum Saturnum & parentem, &
 fautorem fecit. Huius refractariam mali-
 tiam in ariditate & frigiditate latentem,
 à sanguinis secundum naturam se habentis
 (quem etiam Iupiter suum agnoscit) miti va-
 pore, & blandula humiditate obrundi, ac tē-
 perari nemo nescit. Quod priscos poëtas vo-
 luisse, quis negabit? dum Ionem Saturno pa-
 tri testiculos (in quibus virile robur iacet)
 secuisse, vero verius sunt commenti? Castrat
 itaque Saturnum Iupiter, hoc est, ab immi-
 sua temperatura, ad mitiorem euocat: & à
 propria natura, in aliam, blandè ac placidè
 commutat. V R A N. Nullum est discipli-
 narum vestigium quod non attigeris Aescu-

Melancholici
 succi intēperies
 à tēperato san-
 guine mitefcit.

lapi: sed mirari desino, genealogia tuæ memor. Caterum, quotusquisque est, qui non intelligat effrenes martij sideris furias, in calidum & siccum potentissimè vergentes, à frigidula simul & humidula Veneris temperatura madefieri, frænari, ac valde mitescere?

ÆSCVL. Quotusquisque est, Vrania, in rebus corporis, vel per caliginem, versatus, qui non intelligat biliosum humorē (cui præsidere fertur Mars) à pituita, Veneri suo quodam iure inauthorata, temperari, frangi, ac dilui? Quod præcos voluisse in tam frequenti Martis cum Venere furto & congressu, quis neget? VRAN. Quis non videt, Aesculapi, quod planeta (præcipua cælorum ornamenta) quorum potentia, teste tuo Galeno, abundè fruimur, non vno semper stant loco, nec vniiformiter mouentur? Quis nescit quod nūc alti, nunc infimi, nunc vicini, nunc disiti, modò citati, aliàs lenti, quandoque recti, & nonnunquam regradarij per Zodiacum incedunt? atque ex ea diuersitate, dubiam cum in elementis, tum rebus inferioribus (quæ ex illis constant) pugnam promouent & excitāt?

ÆSC. Quis non videt Vrania, humores in humano corpore eandem diuersitatem & agitationem agnoscere? Quotusquisque est,

Martis maliciã
tēperat Venus.

Flauæ bilis ma-
liciam temperat
dulcis pituita.

Planetarū mo-
tus varius est ac
multiformis.

Humorum cor-
poris motus va-
rius est ac mul-
tiformis.

qui non animaduertit illos vno loco haudquaquam stare, nec vniuniformiter moueri? sed nunc sursum ad oculos, dentes, collum: modò deorsum, ad ischium, inguina, genu, malleolum, articulos, nunc ante, modò retrò, aliàs dextrorsum, quandoque sinistrorsum, deerrare, ferri, trudi, ac transmitti? Idque passu nunc lento, nunc celeri, aliàs recto, aliàs errabundo, pro varia humoris natura. Ex quo dubiam in rebus corporis pugnam & tragicædiam excitari, credere (nisi valde fallor) malunt omnes, quàm suo incommodo experiri.

Solis calor vitâ
de proprio spiri
tu reb⁹ terræ im
pertit.

V R A N. Quid illud, Aesculapi? Solis amœnissimus tepor, & sospit atores eiusdem radij, terræ, atque aquæ, necnon corporibus in illis natis & educatis, spiritum viuificum quotidie inspirant, fomentumque salutare sese illis exhibent. *AE S C V L.* Sic sanguinis tepor

Sanguinis vapor
vitam per spiri
tus rebus corpo
ris impertit.

& vapor mitissimus, Vrania, in iecinore, ceu nativo loco, omnium primum elaboratus, vitali spiritui, necnon animali, postea partibus omnibus in corpore natis & educatis, per proprios ductus, ceu per radios quosdam, sese fomentum salutare, & viuificum spiraculum exhibet. *V R A N.* Mirus es artifex, Aesculapi, in inueniendo, disponendo, eloquendo, & respondendo. Agè tamen, planetæ

quatuor, *Iupiter, Venus, Mars & Saturnus*, post *Solem & Lunam* (qui in coelo, ut, rex & regina habentur) magnos usus obtinent in hac inferiori rerū mundi vniuersitate cōtēperāda. *Iupiter*, ut nutriat. Vnde *Zeus Græcis*, quasi dicas ζω, hoc est vita, nūcupatur. *Venus*, ut humidulo suo radio, terrā per medium aërem præparet, ac furtim mouēdo, quadātenus subigat. Vnde ἄφροδίτη, quasi humore et spu ma gaudens, apud Græcos nomen est adēpta. *Mars*, ut à putribus & excrementosis rebus, quæ multæ in telluris vtero latitant, ipsam terram expurget: ac de illabente suo radio, veluti scopis quibusdam, euerrat. *Saturnus*, ut eiusdē actiones internas & proprium calorem suo frigore externo intendat, atq; adstringendo, quæ ex usu sunt, retinere cogat. Quibus, simile quidnam reperis in humano corpore *Aesculapi*? *AE S C V L. Humores* quatuor naturales, *Vrania*, qui suos in humano corpore usus etiam agnoscunt. Nam sanguis, qui (ut dixi) tuum *Iouem* fauorē agnoscit, omnium maximè nutrit. *Pituita*, præsertim dulcis, & naturalis, *Veneri* inauthorata, corpus emollit, præparat, & ad grauantium egestionem quadantenus lubricat. *Flaua bilis*, quæ *Marti* mancipatur, intestina, & pe-

Cælorū plantæ quatuor magnos usus obtinent in temperanda & modifi cāda rerū terræ harmonia.

Corporū humores quatuor magnos usus obtinent in temperanda & modifi cāda rerū corporis œconomia.

ne dixerim, corpus totum ab excrementorum putredine vindicat, superfluaque humiditate expurgat, & abstergit: irritata excretionem, tam per superiora, quam inferiora. Atra bilis, seu melancholicus succus, Saturno additus, ventriculi actiones adiuvat, ut meus scripsit Galenus, ventremque intendit, & in seipsum contrahit, ad cibos exquisitè comprehendendos, & quousque plenè coquantur, retinendos. Quibus addes, quòd etiam secundum nonnullos, appetentiam mouet. *V R A N.* Tantam rerum cognitionem tibi non inuideo

Ex planetis duo sunt rebus terre amici & familiares.

Aesculapi, miror magis. Ceterum, de omnibus planetis, duos post Solem & Lunam, rerum natura amicos & familiares esse constat: Iouem nomino, ac Venerem (qui benefici à Ptolemæo rectè fuerunt nuncupati) ille, quòd nutriat, ut iam dictum est: hæc, quòd madesfaciat, & roridum spiraculum, per vniuersum terræ gremium effundat. *A E S C V L.*

Ex humoribus duo sunt rebus corporis amici & familiares.

Sic ex humoribus duo, rebus corporis familiares sunt, *Vrania*: sanguis & pituita. Ille, quòd nutriat, sicuti nunc admonui. Hæc, præsertim insipida, quòd irroret, madesfaciat, & in sanguinem naturæ amicum, à nativo calore excoqui facillimè possit. *V R A N.* Imploranda hîc mihi sunt aduersum te, omnia

omnium planetarum, omnium cœlorum, & stellarum omnium auxilia. Nam in excogitando & proponendo ferè deficio: sed interim illud occurrit. Martia stella, quam æstuantissimam & retorridam omnes nouerunt, si de idoneo signo, Soli vel insanæ Caniculæ, per cerealia tempora copulabitur: quidquid inest succi rebus terræ, nisi alicunde prospiciatur, depasci, torrefacere, incendere, ac dissipare animaduertetur. *AE S C V.* Flaua bilis, quam calidissimam & æstuantissimam omnes nouerunt, in florentis ætatis feruido corpore, per ætatem idem omnino data occasione molitur. Nam si intra uasa corporis aliis humoribus remiscebitur, & ibidem cum his incenditur (ut in synocho putri) vel sola exardebit (ut in tertiana cõtina & causo) succi quidquid inest rebus corporis, quidquid humidi, benigniue alimenti, promptissime excoquet: & si comitem habuerit flammam, torrefaciet: atque nisi incēdio per initia mature prospiciatur, depasto omni humido, in partes solidas, propterea quòd deficit nutrimentum, vitæ iactura nulla uictima expianda, tandem impetum faciet: ac febrem hecticam mortis certissimam nuntiam, pro foribus sistet.

V R A N. Papæ, quàm egregie philosopharis

Martiæ stelle natura æstuantissima est & perniciosa.

Flauæ bilis natura æstuantissima est.

Planetarum radii
dii varios colores
in nube appingunt.

Corporum humores
in cute varios colores
appingunt.

planetæ cælestes
certos & peculiare
colores habent.

Aesculapi! Sed dic amabo te: nun scapenume-
ro observaſti, quòd mense aliquo lunari, quo-
tius certi planetae fuerunt commotionum ac-
ris iudices, authores ac ſignificatores, has aut
illas nubes, ſic vel ſic, pro cuiusque planetae
natura picturatas, in aëre terram ambiente
promouerunt, & excitarunt? Quid iſti rei
proferes ſimile in humano corpore? *AE S C.*
Cuperem te, ô *Vrania*, *Ariſtophani* ſuas nu-
bes relinquere. Veruntamen ut hic, perinde
atque in reliquis, tibi faciam ſatis, de craſſio-
ri exemplo, & longius fortasſe perito, poſitio-
ni tuae, humani corporis humores opponam:
praefertim quum turgent; ut meus loquitur
Hippocrates: & ſua ad cutim veſtigia depo-
nunt. Nam hunc, vel illum colorem, pro pro-
pria cuiusque humoris natura, ad ſummam
cuticulam corpus ambiètem appingere, fidem
faciunt oculi. Quod ego familiarius tibi ſum
demonſtraturus, ubi tu vicifſim mihi oſten-
deris, quos in aëris nubibus colores tui depin-
gant planetae. *V R A N.* Mars rerum cæli
philophis, Latinis, Græcis, & Arabibus nu-
bem flauam, rutilam, aut luteam in aëre ex-
primit, & architectatur. Saturnus, liuidam,
plumbæam & ſubnigram. Iupiter, purpuream,
rubellam ac roſeam. Venus, pallidam, albi-

cantem, & argenteam. Hic Solem, Lunam,
& Mercurium tibi excludo, quia particula-
res colores non agnoscunt. Iam quod pollicitus
es præsta, Aesculâpi. *Æ S C V L.* Sic bilis

Utraque, & sanguis, cum pituita, humores
quatuor corporis, totidem positis à te plane-
tis deputati, picturas sibi concolores ad cutim

effundunt: si, ut dictum est, in corpore abun-
dauerint: & ab imo in summum, seu à centro
in circumferentiâ emerferint. Nam flaua bi-
lis tuo Marti, ut millies est cantatum, addi-
cta, luteum colorem, & flauum illi impri-
mit: quemadmodum licet intueri in ictero, seu
morbo regio: quem ob id nonnulli auriginem
nuncupauerunt: adhuc in erysipelate, & aliis.

Atra bilis, seu melancholicus succus Saturno
mancipatus, liuidum colorem, plumbeum, &
subnigrum excitat. Quod indicant icteri ni-
gri, seu fœdi colores in nubilibus: cancri insu-
per, ac anthraces. Sanguis, si secundum natu-
ram sese habuerit, quia Iouem agnoscit, ideo
ebulliens, vel aliter ad summam cutem effu-
sus, purpureum colorem, rubellum, ac roseum
illi appingit. Quod manifestant phlegmonæ
quæ plurimæ, exanthemata, & id genus alia.
Pituita naturalis, insipida, & aquea Veneri
ascripta, pallidum colorem, & albicantem colo-

Humores cor-
potis, certos &
peculiares ha-
bent colores.

rat. Qualis apparet in leucophlegmaticis, hydropicis & œdemate. Sed de his satis, Vrania, vel fortasse plura, ob rei indignitatem, quam opus fuerat. His itaq; in presentiarum omis- sis, te ad alia transire & monco & hortor.

Dialogus nonus, de coaptatione stel- larum variarum, cum partibus hu- mani corporis variis.

VRANIA.

Mihi sanè iucunda sunt, & grata ad- modum colloquia tua, Aesculapi. Dispeream si vllum te respondente mihi vnquam obrepit tadium. Dies inte- gra, vix horula visa est. Itaque per charissi- mos tuos liberos Machaonem & Podalirium peto & obsecro, vt in reliquis eadem dexteri- tate pergas. Nam habeo quæ serio deinceps tibi proponā. Phœbus ille natura modifcator incomparabilis (ad cuius egregium spectaculum Socratem ab exortu ad occasum vsque sæpenumero diriguisse ferunt) dum cum Cyn- thia sorore, radio & motu vniuersum terra- rum orbem quantus est, è summo cœlo quoti- die perlustrat, mortalesque omnes illustrat, ac

Duo cœlorum
lumina motu &
radio, terram il-
lustrant & exci-
tant.

res terræ vniuersas, ad proprias actiones excitat, quid in humano corpore mihi appositè depinget, ac repræsentabit? *AE SCVL.* Duorum oculorum imaginem, *Vrania:* quos è capite (quorum gratia conditum putarunt nonnulli) quasi de cælo quodam altissimo, corpus vniuersum, sicuti Sol mundum, radiis & motibus quotidie circumlustrare, & prospicere, ex eoque aspectu, ceu lucerna quadam accensa, membra singula, saltem externa, vt sint in officio, & actiones suas obeant extimulare, ecquis (nisi fortasse lippus) nõ videt, non suspicit, non admiratur? Quod priuscos rerum cæli & naturæ philosophos voluisse, quis neget? dum duorum oculorum, dextrum Soli, sinistrum verò Lunæ (quæ Aristoteli paruolus quidam est Sol) non dicam inauthorarunt, sed planè simillimum fecerunt. In quo si dubitas, audire graue non erit, quid eã in rem post Platonē, meus scripserit Galenus vbiq; magnus. Ostendam (ait) oculum in corpore animalis organum lucidissimum, & Soli quàm simillimum. *VRAN.* Non video quid sperare possim in hac arena aduersum te, *Aesculapi,* nam tot contra me iacula, vt antea dixi, retorques, quot ego in te contorquere possum. Intendam arcum nihi-

F iij

Duo corporum
lumina seu oca
li motibus & ra
diis corpus illu
strant & excitat.

Partes cœlorū *lominus*, ac nouo hoc telo te laceſſam. Cœle-
stellatæ, ſeu ſtel- *ſtes globuli omnes, aut, ſi vis, ſtella tam ma-*
læ, orbicularem- *iores quàm minores, ſphæricam & orbicula-*
figuram præ ſe *rem figuram præ ſe ferunt: vel faciente fidem*
ferunt. *oculorum ſenſu. A E S C. Sic corporis partes*

Partes humano *omnes, Vrania, tam internæ, quàm externæ,*
rum corporum *maiores perinde atque minores, orbicularem*
orbicularem fi- *figuram præ ſe*
guram præ ſe *figuram præ ſe*
runt. *repræſentant. Quod ſi negas, proferam in ſpe-*
ctaculum inteſtina, viſcera, renes, teſticulos,
caput, oculos, brachia, digitos, tibias, Venas,
arterias, neruos, in ſumma totum corporis trun-
cum. Quæ figura, à ſapientiſſimo conditore,
ſi meus ſcripſit Galenus, in hoc illis compa-
rata fuit, quod ægrè patiat, & nullum of-
fenſioni expoſitum angulum prætendat, vel
foras proiciat. V R A N. Potius moueri ceſ-
ſabit meum cœlum, quàm Vincam: inſtare

Præcipuæ cœlo *tamen non deſinam. Agè? certum eſt quod*
rum partes ſeu *ſtella quatuor, Sol, Luna, Iupiter & Venus,*
stellæ ſunt qua *in cœlo principatum obtinent: valent que præ*
tuor: quatuor *cæteris benefico ſpiritu, natura, ac viribus: nec*
tura mirabilis. *sibi tantum, ſed aliis etiam abundè profunt,*
rerumque vniuerſitatem de omnibus tuentur
maximè, ac temperant. His, quid ſimile gerit
humanum corpus, pro quo mecum in hæc de-
ſcendiſti arenam? A E S C V L. Partes corpo-

ris principes quatuor, *Vrania*: nimirum, *cor*, *Præcipue corpo*
cerebrum, *iecur*, & *testes*: quas dictis *planetis* *rum partes sunt*
 quatuor ritè addixerunt antiqui. Nam & *na* *quatuor: quarū*
tura, & *spiritu*, ceu *radio* quodam præpoten- *lis.*
 te, necnon *Vegeta* actione, admodum *Valent*.
Nec seipsi duntaxat gubernandis dant ope-
rā, aut sibi solis vnicè profunt, sed alios quo-
 que de se *spiritus*, tāquam *ingi* de fonte, ad *cor*
pues sustinendum, *agendum*, *temperādum*, &
Vegetandum affatum effundunt, & quaquā-
 uersum transfundunt: verūque corporis vni-
 uersitatē de omnibus tuentur maxime ac tem-
 perāt. Nam *cor* vitale continet, ex elaborata
 aëris inspiratione, & sanguinis suauissimo ha-
 litu, quibusdam genitum. Is, per arterias, ut
 radius quidam, ad partes corporis vniuersas
 defertur, ac insiti caloris causa existit. Cere-
 brum animale dispertit: illumque per ner-
 uos, ceu per fistulas quasdam, radiorum modo,
 in totum corpus ad sensum & motum iacu-
 latur. *Hepar*, naturalem sustinet, ex quo per
 Venas omnibus corporis partibus alimonia
 præbetur: aut, si mauis, nutriēdi vis quadam
 emanat: si tamen aliquē esse spiritū naturalem
 mihi cōcedis. *Testes*, in vniuersum corp^o vni-
 planè masculam, & occulta natura, abditō-
 que spiraculo, energieam ad generandum in-

explicabilem, necnon robur toti corpori suffi-
 ciunt. Quod vel de experientia constat.
 Nam qui imbecillos, impeditos, deprauatos,
 vel resectos habent illos, in muliebrem pro-
 fus naturam, vultu, voce & opere degenerant.
 Nec temere, nam virilitatis testes esse perhibentur, ex quo nomen habet. *V R A N.*
 Valeant philosophorum schola omnes. Ego certè hodie te doctore Aesculapi, plus sum adepta eruditionis, quàm vlla Academia vel toto triennio, disputando & ratiocinando infudisset. Sed rursus agè Venus facultates, & ex his, vt ita dicam, actiones vnà cum motu, radio, & spiritu, longè diuersas quàm Saturnus assequitur: & Iupiter, quàm Mars: & Luna, quàm Sol: & ita deinceps in reliquis. *AE S C V L.* Ad hunc fere modum, *V r a n i a*, os quàm neruus, & neruus quàm caro, caput quàm pes, thorax quàm brachia, cor quàm ventriculus, in summa pars quæq; similis, organica & instrumentaria, spiritus, facultates, & actiones ab alia distinctas, humidumque primigenium, ac innati caloris substantiam longè diuersam adipiscitur, sustinet, ac recipit. Quod tametsi verissimum est, tibi nihilominus, multisque aliis absurdum fortasse videbitur: propterea quòd in cor

Partes cœlorū
 seu stellæ variæ
 sunt naturæ ac
 temperaturæ.

Partes humano-
 rum corporum
 variæ sunt natu-
 ræ & tempera-
 turæ.

Partes cœlorū
 seu stellæ variæ
 sunt naturæ ac
 temperaturæ.

rupta corruptis, diuina humanis, & materia-
 lia, extra omnem materiam positis compono.
 In quo si quid peccatur, & peccatum est, aut
 deinceps peccabitur, tam mihi à te, & can-
 didè, & facile condonatum puto, quàm ego
 in re, & argumento simili vltro tibi condo-
 nare libentissimè vellem. Quod vnum sæpius
 repeto, Vrania, quia intelligo extra reprehensionem non esse. V R A N. Bono animo esto,
 Aesculapi, nec in docendo, ac demonstrando
 (obsecro) fatigeris. Non es nescius, nihil esse
 ex omni parte perfectum ac probatum. Si v-
 niuersis cœlis res corporis tam eruditè concili-
 as, potes & me & animos omnes tibi facile
 conciliare: quod tamen paucis datum esse in-
 telligo, & maximè his quos equus amauit
 Iupiter auus ille tuus omnium Optim. Max.
 Caterùm, ne à cœpta via deslecta, non igno-
 ras, Aesculapi, planetas omnes cū stellis, iam
 inde ex quo primùm apparuerunt, sic fuisse
 compositos, vt ab officio nunquam cessent: sic
 erga mortalium res affectos, vt pro illis &
 rebus eorum viam ire, redireque nunquam re-
 cusent: sic inferiori mundo, aurigante motu,
 & radio, vnà cum occulto spiritu, obsequen-
 tes, vt viuificos suos & diuinos ignes, inoffen-
 so tenore, quasi data in perpetuum obsequium

Particulæ celo-
 rum stellatę om-
 nes cum suis ra-
 diis & spiritibus
 in id incumbūt
 vt rerum terrę
 vniuersitatē tu-
 cantur ac susti-
 neant.

fide, ei nunquam detrectent. *ÆSCV. Hoc*
 quidquid est, *Vrania*, quis nescit ad humani
 corporis *ὀλομελίαν* (Vt *Venerandus meus*
Hippocrates loquitur) aut, si placet, ad totā
 corporis compaginem aptissimè detorqueri
 posse? Cuius partes omnes cum vniuersis fa-
 cultatibus, à prima constitutione ita digestæ
 & coagmentatæ videntur, eaque harmonia
 compositæ, vt omnibus omnium horarum ato-
 mis, aurigantibus spiritibus, qui cum insito
 calore illarum habenas mouent, ab officio &
 propriis actionibus (nisi fortasse per morbos,
 vel aliter præpeditæ fuerint) cessent nun-
 quam sic inuicem obsequentes, vt toti corpori
 suas operas inoffenso tenore detrectent nun-
 quam: sic mutuò famulantes, vt ad tutan-
 dam humani corporis vniuersitatem ad ex-
 tremum vsque humane comœdiæ actum fa-
 tigentur nunquam: quasi iurata illi in perpetuum
 obsequium fide. In quo quis Dei & nature
 summam artem non admiretur? Quis eiusdem
 eximiam erga humanum genus bonitatem,
 pietatem & prouidentiam non exosculetur,
 nõ amet, non veneretur? *V R A N.*
 Nunc demum verissimum illud esse experior
Aesculapi, quod vulgò dici solet: admiratio
 ex ignorantia est. Ignoravi hæctenus humani

particulæ huma-
 norum corporū
 omnes, spiritus
 itē & facultates
 in id incumbūt,
 vt rerū corporis
 vniuersitatē tu-
 eantur ac susti-
 neant.

corporis maiestate & dignitatem: vnde mirabar, quidnam esset homo, & vnde super reliquas animantes tantopere superbiret. Nunc te loquente, & doctior, & certior facta, mirari desino. Sed quid hoc, quod caelorum lucidae partes omnes (stellas si placet nuncupa) ut haec inferiora tueantur, ac temperent, duobus maximè indigent, motu nimirum, & omnia pulsante spiritu, quæis perpetuum præbet comitatum radius? **AESCVL.** Quid hoc, Urania, quod humani corporis & partes, & particula omnes, motu, ac spiritu pulsantium arteriarum, spirituosarumq; venarum præsidio opus maximè habent, ut & se temperent, & totum corporis theatrum tueantur atque in harmonia contineant? quibus indiudivus adest comes insitus calor cum spiritu, motus auctore. Taceo hinc perpetuum fluorem, & motum continuum triplicis substantiæ, solidæ, carnosæ, & spirituosæ. Adhæc corporis habitum, assiduo fluxui & transpirationi opportunum: quemadmodum alumni mei, Hippocrates & Galenus egregiè (ut omnia) posteritatem condocuerunt. **VRAN.** Prætereundum non est, Aesculapi, quod partibus illis Zodiaci, quas signa appellant, qualitates diuersæ insunt: à quibus rerum generanda-

partes caelorum stellatae absque motu & spiritu esse non possunt.

partes humanorum corporum absque motu aliquo & spiritu esse non possunt.

partes Zodiaci variarum sunt qualitatum.

Partes humani
corporis diuer-
farum sunt qua-
litatum.

Partium cælo-
rum seu stella-
rum quedã sunt
simplices, alie
compositæ.

partium huma-
ni corporis que-
dam sunt simpli-
ces, alie compo-
sitæ.

rum & corrumpendarum status omnis de-
fluit. *ÆSCV*. Nec itidem prætereundum,
Vrania, quòd partibus humani corporis tem-
peramenta varia, & qualitates diuerse in-
sunt: à quibus rerum in illo generandarum &
corrumpendarum status omnis defluit. Nam
sicuti humidum & siccum, frigidum & ca-
lidum, in eodem subiecto, vt loquuntur philo-
sophi, absque aliquo medio esse non possunt:
ita nec in cælo, nec corpore. Quocirca, recte
accommodatèq; signorum tui cæli, vt etiam
membrorum corporis, alia frigida & humi-
da esse, alia sicca & calida, frigida item &
sicca, adhæc calida & humida ostenderunt
prisci, & de obseruatione probauerunt poste-
ri. *VRAN*. Præclare quidem, *Æsculapi*,
sed in cælo partes quedam sunt simplices, vt
Sol, Luna, Venus, Mars, Iupiter, Saturnus,
&c. Quedam verò compositæ, vt *Orion,*
Taurus, Bootes, Leo, Vtraq; Vrsa, Virgo, Lu-
p, & huius picturæ imagines varia.
ÆSCVL. Sic in humano corpore partes
quedam sunt simplices, siue similes, vt ner-
ui, *Vena, arteria, ossa,* &c. Alia verò com-
posita, siue dissimiles, vt *cor, iecur, cere-*
brum, lien, ventriculus, pulmo, &c. *VRAN*.
Tibi tam variè erudito non est inauditum,

omnium cœlestium & sphaerarum & stellarum chorum sanèquam diuinum, rapide extimi orbis vertigini, vel de prima inuitatiuncula illico obedire. Quæ res quid habet in humano corpore simile? *AE S C.* Vnius animalis facultatis maiestatem, *Vrania*: cuius imperium, omne corporis theatrum, cum tota rerum illius multitudine sanèquam admirabili, actutum (nisi fortasse aliunde præpediatur) capessere: seque ad illius motum vel lenissimum, perinde atq; ad clâssici vocem extemplo componere, & de prima inuitatiuncula sequi, non est, nisi ἀφιλόσοφος, qui ignoret.

V R A. Pœnitet, imò verò pudet, quòd tam temerè in disputationè hodie tecum descenderim. Quod certè ardentissimo discendi studio, non vincendi animo factû putabis. Itaq; ut reliqua ex te intelligam, propono fixarum stellarum, quæ innumera sunt, adhæc errantium ordines, magnitudinem, radios, situm, & qualitates quæ adamussim per omnia, sibi inuicem nequaquam respondent. Ex quo fit, ut in hæc inferiora, eadem & ubique similia semper non operentur, nec immutant.

AE S C. Sic humani corporis partes tam similes, quàm organicae, quæ ut numerosissimæ sunt, ita fixarum stellarum, & item pla-

partes cœlorû
omnes stellatæ
vnius parèt imperio & motui.

partes corporû
oës parent vni
imperio ac motui.

partes cœlorû
seu stellæ per omnia sibi nõ respondent, nec similia similiter agunt.

Partes humano
rû corporû per omnia sibi non respondent, nec similia similiter agunt.

netarum chorum insignem non inepte figurabunt, ordine, magnitudine, situ, qualitibus, numero, figura & connexione, inter se variant, ac differunt: functionesque diuersas, ut sunt diuersae, sed suae tamen cuique parti congeneres sustinent: nec eadem per omnia agitant, tamen si vni eidemque corpori, perinde atque vni caelo fixae tuae stellae, inesse prospiciantur. *V R A N.* Vt inam deus aliquis me in Platonem conuerteret, Aesculapi, vel potius Platonis scientiam & acumen mihi hodie instillaret: diceres profecto rem tibi cum

In partes terrae femina non esse. Vt ut se res habet, ex Ptolemaeo constat, imò vero de experientia, quod Mars calidus est: quia Soli, qui caloris est fons, propinquat: & Luna frigida, quia ab eodem distat. *A E S C.* Sic hepar Marti addictum, Vrania, calidum est, quia à corde caloris promptuario non admodum distat: & cerebrum Luna mancipatum, frigidum, quia ab eodem multum abest. Quanquam scio apud meos medicos veriores & probabiliores rerum istarum causas esse. *V R A N.* Hic mihi quiduis potius sperandum, quam ut vincam. Age?

In partes corporis, cordis vicinia & remotio diuersimodè agit.

partium seu stellarum tam simplicium quae compositarum, qualitates sunt diuersae.

Saturno calidior est Mars: & vicissim Marte Saturnus siccor. Adhaec, Luna Ventre humidior, & Venus Luna frigidior. Atque ita

de inerrantibus stellis, planetarum qualitates,
 & naturam resipientibus. Nam Hyades hu-
 midiores sunt, quàm Sirius: & Sirius seccior
 ac calidior, quàm Orion. Insuper Arcturus
 Bootis calidior, quàm tota Scorpij stellatio:
 & ita de reliquis. *AESC.* In hunc ferè mo-
 dum, *Vrania*, particula humanum domici-
 lium compingentes, qualitatibus & tempera-
 mento separatim variant. Nam osse seccior
 & frigidior est pilus: & post hunc charti-
 lago, & quem *Græci*, ut est in meo *Galeno*,
 χονδρῶδες ὑδρῶδες μὲν, hoc est, chartilagineum
 nexum nūcupant: præterea caro, cute est hu-
 midior ac calidior: & spinalis medulla v-
 traque humidior ac frigidior: rursus, cere-
 brum & hac & illa est multò humidius: &
 cerebro adeps, cui concretio contingit. Caro,
 sanguis, & spiritus, temperamento calido &
 humido prædita sunt: sed ita ut spiritus cali-
 dissimus sit, deinde sanguis, postremò caro.
 Quod ad instrumentariorum partium, dissi-
 milariūmuc, aut compositarum (quæ, ut di-
 xi, octavæ spheræ imagines quodammodo fi-
 gurant) aptare si videbitur, viam paucis a-
 perio. Cor omnium partium humanarum ca-
 lidissimum est, maximè sanguineum, & pro-
 inde humidum: proximum illi est iccur: se-

partium corpo-
 ris tam simpli-
 cium, quæ compo-
 sitarū, qualita-
 tes sunt diversæ.

quitur pulmo, qui calidus est, humidus, & spumofus. Cum liene, renes calidi sunt & humidi: atque ita deinceps de reliquis. V R A. Tam exquisitam philosophiam, & rerum corporis vsquadeo eruditam expositionem, hactenus à nemine audiueram, Aesculapi: sed iuuat te aliò vocare. Non es ignarus, vnâ-

Partes terræ à tribusque in cœlo sunt, vegetantur, fouentur, ac sustinentur. à quamque rerum terræ particulam, quæ vel nati triri, vel aliquid in lucem proferre nata est, tribus quæ in cœlo sunt, & illinc manant, maximè (vt antea admonui) indigere: nimirum lumine, motu, & saluari hinc aura quaquauersum illabète: aut, si me Peripateticè loqui mauis, æthereo tepore, & spiritu, omnia deorsum occultè perflante, alente, ac vegetante. A E S C. Sic ignara non es, Vrania, quâ-

Partes corporū à tribus quæ in corpore sunt, vegetantur, fouentur, ac sustinentur. libet corporis humani particulam, quæ suas actiones in lucem est aditura, vel nutritionis commoda perceptura, trium spirituum qui in corpore sunt, influente vi, motu, & vibratione, ceu lucente quodâ radio, maximè opus habere: hoc est (sicuti paulò antè admonui) humido suo, insito calore, & comitante illum spiritu. V R A N. O tēque, quaterque beatum, non dicam Hippocratem, qui suum in te genus agnoscit, Aesculapi, sed & medicorum ordines omnes, qui te authorem, illustra-

torem ac patronum reuerentur. Caterum, tu Sol & planetæ,
 mihi, vt opinor, non inficiaberis Solem cum cœli signis vtun-
 aliis planetis (à quibus inferiora omnia mo- tur.
 uentur) ipsis cœli Signis, Ariete, inquam, Tauro, Geminis, &c. ad res terræ modifican-
 das vi:corundemq; ministerio, ac opera gau-
 dere. *AE S C V L.* Proinde neque tu etiam, Cor & viscera,
 opinor, *Vrania*, negabis, cor in humano cor- corporis parti-
 pore cum aliis visceribus, vt *Venis*, arteriis, culis vtuntur.
 neruis, fibris, pellicula, & propria carne: eo-
 rundemque omnium ministeria ac operas ad
 res corporis modificandas exigere. *V R A N.*
Mirus es sanè Aesculapi, & supra omnes
 deos quos ego vnquam loquentes audiui, in
 respondendo promptus, & ad excogitandum
 ingeniosus: proinde patieris pro tuo candore,
 me rursus hæc paucis proponere. Certum est,
 de planetæ cuiusque effectiōum mixtura, vt
Iouis, *Saturni*, *Martis*, *Mercurij*, *Veneris*, *Lu- De cōmixtione
 næ*, atque adeo *Vnius Solis cuncta moderan-* effectiōnū pla-
 tis (à quo perinde atque à fomite omnia vi- netarū, res ter-
 gent) *vniversa quæ sub cœlo sunt*, statum ræ statum suum
 suum perbellè fortiri. *AE S C.* Sic etiam cer- fortiuntur.
 tum est, *Vrania*, de cōmixtione effectiōum
 ipsorum viscerum, vt *iecinoris*, *lienis*, *Ventri-* De cōmixtione
 culi, *pulmonis*, *cerebri*, *testium*, atque adeo effectiōum vi-
Vnius cordis, cuncta vt princeps moderan- scerum, res cor-
 um fortiantur.

is, res corporis quasque statum suum perbellè
 fortiri. *V R A N.* Hoc certe Verissimum es-
 se nunc demum in te experior quod vulgo di-
 ci solet, Aesculapi, patrem sequitur sua pro-
 les. Apollo rerum medicarum est parens, Ae-
 sculapius illarum doctor, & interpres sanè-
 quam diligens. Sed dic interim? at heri ignes,
 elementis, perinde ut quibusdam suis instru-
 mentis, suaque materia, vtuntur: è quibus
 tuus mundanus & mortalis homo constat:
 & per qua, & intra qua vitam quoque du-
 cit. *A E S C V L.* In hunc ferè modum, *V r a n.*
 Humanæ men- tes spiritibus v-
 tuntur. nia, humani corporis humana mens, aut, si
 maus, humanus animus, spiritibus, sensibus
 que vtitur, perinde ut suis quibusdam instru-
 mentis, quibus (vix ausim dicere) constat, &

Partibus cœli per qua viget. *V R A N.* Agedum, Aescu-
 tametsi diuersis lapi? incomprehensibilis illa quinque plane-
 mira inest sym- tarum societas, tametsi diuersa habeatur, sub
 phonia ad rerū duobus tamen principibus, Sole, inquam, &
 mundi custodia Luna, cum innumeris fixarum stellarum ordi-
 nibus, ad rerum inferiorum propagationem,
 custodiam, & generationem, motibus, lumi-
 nibusque, & radiorum projectione, sub va-
 ria magnitudine, figura, & situ (ut sapenu-
 mero dictū est) symphoniam de multis quasi
 vnam quotidie concinit & modulatur: Quæ

res quid reperiet in humano corpore simile?

AESCVL. Inenarrabilem partium omnium corporis tam internarum quam externarum (etiam si diuersæ sint) societatem, symmetriam, & consensum, ad tutandam & custodiendam ipsius microcosmi vniuersitatem summopere utilem. Nam siue magnitudinem illarum spectes, siue numerum, adhæc figuram, situm, connexionem, motum, aut actionem quamlibet, eò omnes tendere deprehendes, ut totius corporis œconomiam, & statum tutissimè, & quoad eius fieri potest, diligentissimè custodiant: in eiusque auxilium prorsus conspirent, ac symphoniam de multis, quasi vnâ quotidie concinant, ac modulentur. In quo, Vrania, quis Dei & naturæ illi ancillanti, summam erga humanum genus bonitatem, iterum, imò verò centies, & milles supra milles, non suspiciat, non veneretur, non amet? *V R A N.* O magnū & multis modis admirabilem deum, qui in abditissima rerum naturæ mysteria tam altissimè penetravit! Quid tu, ac si viceris, subrides? Non est (mihi crede) res admodum operosa, barbatum deum, simplicem puellam & virginem superare. Quanquam tibi nondum est victoria parta. Age? errantes stellas, adhæc

G ij

Partibus corporis tametsi diuersissima inest symphonia, ad rerum corporis custodiam.

In duabus maioribus cœli tel-
lis rerum terræ
modificatio &
vita maximè cō-
tinetur.

*inerrantes tam magnas quàm paruas à Sole
& Luna digredientes, in contemplationem
tibi obiiicio. A quibus viuificum lumen, &
gratissimum alimentum rebus omnibus in-
ferioribus, per vnum aërem, radio & motu
infundi ac refundi dum obseruas, dum ani-
maduertis, quid, obsecro, de rebus corporis ob-*

In duabus maio-
ribus venis rerū
corporis modifi-
catio & vita ma-
xime cōtinetur.

*oculos tibi habere videris? AE S C. Minutu-
las & capillares maiusculasque corporis ve-
nas non paucas, Vrania, à duabus quæ maio-
res dicuntur, caua scilicet, & porta, tanquam
ex aureis duobus fluminibus singulis corporis
partibus suum apparatus nutrimentum, du-
ce motu & spiritu, ceu quodam vehiculo in-
fundentes, refundentes, ac suffundentes. V R A.
Quò magis procedunt colloquia nostra Ae-
sculapi, eò admirabilior mihi semper videris.*

Partiū cœli seu
stellarum sum-
ma est varietas
& diuersitas.

*Ceterum, quoties per amica silentia noctis,
cœlum intueris partibus ac stellis tam variis,
& multiplicibus concinnatum & consper-
sum, magnis, inquam, paruis, albis, fuscis, ru-
tilis, obscuris & aliis, quid tale in humano
corpore obseruas, aut animo cōcipis? AE S C.*

Partium huma-
ni corporis sum-
ma est varietas
& diuersitas.

*Ipsismet humanum corpus totum, Vrania,
venis, arteriis, nervis, visceribus, intestinis, fi-
bris, musculis, tendonibus, ossibus, ligamentis,
membranis, adipe, carne & cute, particulis*

inter se variis, diuersis, ac discoloribus, concinnatum & contextum: albis, fuscis, flauis, liuidis, rubellis, magnis & paruis. V R A N. Non absurde sane, nisi quòd (Veniam tamè & petita, & impetrata) rebus meis sacris, tua prophana identidem misces ac componis. Sed quid hoc, Aesculapi, quòd prolificus, & socialis Veneris radius, in malefici & sanguinei Martis naturam transire prorsus non potest? nec item salutare Iouis spiraculum, in perniciosam & exitialem Saturni rigiditatem? A E S C. Quid hoc, Vrania, quòd nec os in nervi substantiam: nec nervus, in carnis, vel adipis naturam: nec hepar, in cerebri substantiam: nec pulmo in lienis materiã transire potest? V R A N. Mirum est quòd tot cœlorum particule ubique variæ & multiplices: aut si vis, stellarum tam errantium quàm inerrantium, nobilium quàm ignobilium, sanequam numerosa multitudo, certo concentu inuicem conuenit, inuicem sibi subseruit, inuicem & se, & res mundi omnes temperat ac iuuat, quemadmodum ego paucis hic demonstrarem, nisi actum agere formidarem. Huic rei quid simile dabis? A E S C. Varias ac multiplices corporis partes tam nobiles, quàm ignobiles. Nam miro concetū inuicem

G iij

partes cœli seu stelle, propriam suam temperaturam & naturã prorsus non exuunt.

Partes corporis propriam suam naturã prorsus non exuunt.

partium cœli stellarum numerosa multitudo miro concentu inuicem conuenit ac se mutuò temperat.

partium corporis numerosa multitudo miro concentu inuicem conuenit ac se mutuo téperat. conueniunt, inuicem sibi subseruiunt, seq; mutuo temperant, atque iuuant. Quod familiariter sic tibi ostendo. Hepati alimenta & chylum præparat Ventriculus atque elaborat: vicissim Ventriculo, aliisque partibus sanguinem hepar, & cum calore, spiritum. Pulmo aërem cordi attrahit, cõficit, excoquit & emendat: cor, attenuatum sanguinem & spirituosum, alendo pulmoni sanèquam idoneum illi condit, ac sufficit: & ita deinceps. Quid, quòd oculi manibus prælucètes, eis viâ commonstrant? quid, quòd manus oculos tuètur, & ab externis iniuriis defendunt? Quis non videt os cum tota sua acie eburnea, Ventriculum, hepar, & ut paucis dicam, partes omnes corporis, alimenta in primo Vestibulo consciendo, mutua necessitudine iuuare, & rursum, dũ alitur, ab his iuuari? Tradũt itaq; vicarias operas, ac se inuicem temperant, iuuantque, corporis perinde atque cœli, res omnes. *V R A N.* Mirabar si sic euaderem. Sed ô me obliuiosam! Signiferum numerosæ multitudinis circulum, ut tuus scripsit Trismegistus, hic penè præterieram, quod tamen non oportet. Hunc, Ariete & Piscibus, tanquam initio & fine. si tamen initium & finem circulo præscribis, terminari dum audis, quid de

In Zodiaco initium est & finis.

humano corpore simile tibi proponis? *AE S.* In humano corpore initium est ac finis. Illud ipsum corpus totum, capite & pedibus, membris dictis signis mancipatis de prisorum autoritate, circumscriptum & terminatum. *V R A N.* Sed ille idem signifer circulus, Aesculapi, in quo Peripateticis via est vite & interitus, ad haec inferiora varie miscenda, ac temperanda, triplici signorum tetrade constat, quatuor elementorum naturam & complicationem praeseferente. Prima, Ariete, Tauro, Geminis & Cancro perficitur. In qua, signum primum igneum est, alterum terreum, tertium aërium, & quartum aqueum. Reliquas tetradas simili praeditas temperamento, ne sim molesta, omitto. Nam tibi tantum sunt notae, quam amittet tuae Dianae, sui (quod dicunt) canes. Verum agere quid istius rei conferes de toto humano corpore? *AE S C.* Ipsum corpus totum, Vrania, quod equidem constat triplici partium tetrade, quatuor elementorum naturam & complicationem ad res corporis varie miscendas & temperandas sustinente ac praeseferente. Prima, est in prima & summa corporis parte, nimirum in capite: quod unum, quatuor in se continet, perinde atque primus tuus signorum quaternio. Visum imprimis, qui plane igneus est: cui respondet

G iij

partes Zodiaci
varie sub diuer-
sis qualitatibus
distribuuntur.

partes huma-
corp. varie sub
diuerfis tempera-
mentis distribu-
untur.

Aries, rerum cœli philosophis signum mere igneum. Præterea olfactum, qui terræ naturæ, ut cœlestis *Taurus*, quadantenus est particeps. Tertio loco, auditum, qui purè æreus esse censetur, uti tua *Geminorum* stellatio. Postremò, gustatum, aquæ utcumque naturæ, qualis est *Cancer* in cœlo. Sic *Thorax*, corporis tertiæ altera, suã habet τέτραδα, perinde atque *Zodiacus*. In qua se cor imprimis offert: quod alumnulis meis *Hippocrati* & *Galeno*, feruens semper est, qualis cœlestis *Leonis* natura. Secundo loco, δίαφραγμα, ob robur & densitatem nonnihil terreum, quale est in cœlo *Virginis* astrum. Tertio arteriarum origo, quas ærias esse, vel de motu & pulsatione constat: cuiusmodi esse fertur in signifero *Libra*. Vltima connumeratione pulmo occurrit, qui pituitosus est, molliculus, & aqueus, uti cœlestis *Scorpio*. Sequitur *Venter inferior*, postremus corporis ternio, qui suã cum tuo *Zodiaco* tetradem hic etiam agnoscit. In hoc, iecur omnium primum occurrit calidum ob sanguinem, qualis est *Sagittarius*, tertiæ τέτραδος cœlestis signum primum. Secundo loco, se profert *lien*, terreus & feculentus, ut *Capricornus*. Tertio, *Ventriculus*, æreus, quia calidus humidus, cuius naturæ in cœlo

est *Aquarius*. Quarto & Ultimo loco, inter-
 stina, humida affatim, ut solent esse *Pisces*.
 In quibus partibus quis nescit, *Vrania*, to-
 tius corporis, perinde atque cœli vim uniuersam
 & harmoniam elucere? *V R. A. N.* Res
 cœli & corporis siue ab *Apolline*, siue à
Cheirone, siue à *Mercurio*, aut quocūque alio
 didiceris, tam exacte tenes, quàm deorum aut
 mortaliū vllus. Ex quo fit, ut me attonitam
 reddas. Instabo tamen. Fare itaque, tot lucen-
 tes stellarum globuli, nulla cogitatione, nedum
 numero perceptibiles, dum permixtim confun-
 duntur, & varias figuras, penè dixerim geo-
 metricas omnes, de mutuo cōcursu, & radio-
 rum projectione multiplici quaquaersum
 describunt: dum ex situ nunc recto, nunc obli-
 quo, nunc propinquo, nunc remoto, modò dex-
 tro, modò sinistro, aliàs anteriori, quandoque
 posteriori variè miscētur & pulsantur: dum
 de aspectu opposito, hexagono, trigono, tetra-
 gono, aut aliter ad inferiora propriis faculta-
 tibus contemperanda sese salutant, & intu-
 entur: quidnam dabunt simile in corpore hu-
 mano? *A. E. S. C.* Venarum, arteriarum, ner-
 uorum, tendonum & staminum, siue fibra-
 rum corpuscula, *Vrania*. Quæ per uniuersum
 corpus, ac si radij quidam essent, hinc inde

particulæ cœlo
 rû stellatæ, seu
 stelle, geometri-
 cas figuras pe-
 nè oes sursum
 describunt.

Particulæ hūa-
 norum corpo-
 rum, geometri-

cas figuras pe-
nè oēs tam in-
trorsum quam
extrorsum varie
describat.

trauci & dispergi dum vides: dum à summo
in imum, recto in obliquū, dextro in sinistrū,
& contrā emitti obseruas: imò verò, si fas est
dicere, quoties de Cheiromāticorū, Pedomāti-
corū & Metoposcoporū arte idipsum animad-
uertis: dum in viuentibus, & à persflante spi-
ritu distentis manuum, pedum, frontis, bra-
chiorum, corporisque totius fibris, venis &
tendonibus (præsertim in gracili, senescente,
vel emaciato corpore) idipsum in spectaculo
accersis: num geometricas figuras penè om-
nes ob oculos habere tibi videris? nū tu ibi de-
prehendis lineas rectas, obliquas, curuas, per-
pendicularares ac parallelas. Superficies, rectas
& curuas. Angulos, rectos, acutos, obtusos,
planos, solidos, rectilineos, curuilineos, & mi-
xtos. Circulos, semicirculos, trilateras figuras,
quadrilateras & multilateras. Isoschelia &
scalena. Triangulos, oxygonios, ambligonios,
& rectangulos. Quadrata, rhombos, rhomboi-
des, trapezia, pyramides, helicas, cylindros,
ac figuras alias? A quibus mirabilem harmo-
niam rebus corporis conciliari, & de variis
organis, atque similariū partium accentu,
symphoniam de multis vnam (que vita di-
citur) exprimi, non tam est quòd dubitare de-
beāt mortales, quàm summis votis expetere,

Ut spirante etiãnum corpore aliquo, quidquid
 id est, oculis (si quidem fieri posset) percipere,
 imò vero manibus cõrectare aliquãdo queãt.
 Papè, q̃ hic stupenda architectatricis natura
 spectaret miracula! q̃ elaboratũ domicilium!
 quã operosã geometriã! Humanã est ar
 tis, fateor, hominem exterius representare, fa
 bricare, sculperè, aut pingere: quod fecerunt
 Apelles, Pheidias, Praxiteles, Lysippus, Zeu
 sis, & celebres alij pictores, statuãrij, & scul
 ptores quamplurimi. Sed interius, ad viuum
 effingere, soli Deo & nature illi ancillanti
 est concessum. Quod sanè humana industria
 attentare nunquam est ausa. Sed de his satis,
 Vrania: itaq; dũ voles alia proponere. V. R. A.
 Et verba & res, quo magis procedunt nostra
 colloquia, mihi præripis, Aesculapi: adeo di
 fertè, adeo eruditè & ingeniosè loqueris, ac re
 spondes. Sed ut aliud ex alio incidit, & ita
 fieri iubes, proponam stellas erroris nescias,
 quæ vel aquilonarem, vel australem imagi
 nem quampiam constituunt. Has quis nescit
 radio, viribus, & spiraculo inter se differre?
 Quod ut ostendam, quis ignorat, aut non vi
 det nimbosum Oriona dum exoritur, vel oc
 cidit, aliter in hæc inferiora spirare, aliãsq;e
 in aère commotiones ciere, quã qui ardentès

Partiũ cœli seu
 stellarum radij,
 spiritus, acriões
 & tẽperamenta
 variè inter se
 differunt.

contristat Sirius agros? Quis non obseruat Arcturi, vel Lyrae stellas, alium iaculari radium, aliisque vires & qualitates sustinere, quam quae Pleiadum, Andromeda, Vulturis, aut Cygni imaginem figurant & componunt?

Partium hum. corp. spiritus actiones, & temperamenta varie inter se differunt. *AESC.* Quis nescit, Vrania, eum spiritum qui ossi inest, & cuius praesentia stat, absentia vero cadit, ab eo qui in nervo latitat, non solum dissidere, sed actiones etiam alias penitus habere? Et hunc rursus ab eo differre qui moderator est carnis? & ita deinceps? Nam in reliquis corporis rebus, perinde atque caeli, eam differentiam & dissimilitudinem reperire facile erit. In qua re te exercere superse-
deo, ut aliis suus sit locus, tantis per dum mihi licet, & tibi iucundum est. *VR A.* Perspicuum est, quod in caelo, & maxime in Zodiaco, certae sunt partes, in quibus certi planetae & certae stellae sua certo sibi elegerunt domicilia: in quibus potius quam alibi, quod cuique est innatum belle perficiunt ac operantur. Vnde Soli proprius locus, domus & hospitium est in Leone: Luna in Cancro: Saturno, in Capricorno: Ioui, in Sagittario: Marti, in Ariete: Veneri, in Tauro: & Mercurio, in Virgine. *AESC.* Sic perspicuum est, Vrania, quod in humano corpore certae sunt par-

res, in quibus certæ res corporis certa sibi elegerunt domicilia: Vbi illæ potiùs quàm alibi, quod cuique est innatum bellè perficiunt ac operantur. Hinc vitali spiritui proprius locus est in corde: naturali in hepate: animali, in cerebro: chylosi, in Ventriculo, sanguificationi in iecinore, delationi seri sanguinis, in Venis emulgentibus, & eiusdem ad vesicam exportationi, in Veteribus. Sic bili recipiendæ proprius locus est in fellis vesicula: atræ bili secernendæ & adseruandæ, in splene seu liene: & ita deinceps. In quo hoc colloquium tibi claudio, Vrania: non quòd respondendo sim defessus: quin potiùs vt tu aliquantis per respices, & nouarum propositiõnum rationes excogites.

Dialogus decimus, in quo Solis & Lunæ cursus, cum vitæ humanæ curriculo componitur.

VRANIA.

MIHI gratulor, tibi que gratias ago, Aesculapi, quòd harmoniam cœlestium corporum & humanorum, non dicam degustare, sed plane cognoscere,

nunc demum, te doctore & demonstratore,
foeliciter pergam. Placet valde quod iam fa-
cilem te mihi exhibeas: patientia tua & can-
dore parum deinceps abutar. Age itaque ne-
minem esse puto in literatura coeli, vt loqui-
tur Plinius, vel mediocriter versatum, qui

Solis & Lunæ non videat Solis in signifero circulo anniuer-
per Zodiacum sariam peragrationem, & Lunæ itidem mē-
progressio, qua struam, quatuor tum anni, tum mensis tem-
tuor tempesta- pestates qualitibus inter se plerunque disti-
tes tēperamēto pestates qualitibus inter se plerunque disti-
differentes exci- dentes adferre. Ver imprimis, humidum &
tat. calidum, maximè si secundum naturam se
habuerit: qualis est prima Lunæ etas. Post-
ea, æstatem calidam & siccam: qualis est se-
cunda Lunæ etas. Tertio, autumnum siccum
& frigidum: qualis est tertia Lunæ etas. Po-
stremo, hyemem frigidā & humidam, qualis
esse solet vltima Lunæ etas. Cui rei, quidnam
simile mihi proferas in tuo homine auidissi-
mè expecto. *AE S C.* Totius humanæ vitæ e-

Vitæ humanæ
per hūc mundū
progressio, qua
tuor etates tem
peramēto diffe-
rentes excitat.
ius curriculū tibi propono: quod vnum etates
quatuor, positas hasce tēpestates tuas numero
& qualitibus æquantes adferre, à meis me-
dicis, & prisicis philosophis adnotatum est.
Pueritiā imprimis, quæ humida est, & ca-
lida, quale Ver proprie sumptum, & de Solis
per tria prima signa Zodiaci peragratione cir-

cunscriptum: primâque Luna ætas, à suo cum
 Sole congressu, seu, à νεομηνίᾳ, ad primum
 τελεσσωμένον, aut, si mauis, schema pri-
 mum, vel quadraturam primam. Secundò,
 adolescentiam, seu (vt aliis placet) florentem
 ætatem, ac iuuenilem, calidam & siccam,
 qualis est in anno solari ætas: & in mense lu-
 nari intercapedo ea quæ est à primo illius
 quadrante, ad plenilunium: vel à διχοτόμῳ
 primo, ad πέντε ἡμερῶν, seu plenilunium. Ter-
 tiò, ætatem consistentem, & ad canos festi-
 nantem, quæ sicca est, & frigida: qualis esse
 solet autumnus, & Luna tempestas ea, quæ
 est à plenilunio, ad vltimam quadraturam.
 Postremò decrepitam ætatem, seu senectam,
 quæ frigida est, & humida, saltem excre-
 mentis: qualis est hyems secundum naturam
 se habens: & tempestas ea Luna, quæ est ab
 vltima eius figuratione cū Sole, ad proximū
 nouilunium. Quæ omnia, vt facilius accipias,
 Vrania, planius docere ac demonstrare aggre-
 dior: à pueritia ceu à fundamentis primis &
 proximis, gradum faciens. Hanc veri appo-
 sitissimè respondere, cum calido restatur hu-
 midum, quibus simul abundat. Sed ita vt ab
 ipso humido in calidum, perinde atque à Ve-
 re in Aestatem, facilis fiat lapsus, & trāsi-

tus. Sequitur illam iuuentus, cui similis admodum est ætas. In vtraque enim secundum naturam se habente, calor sic efferuescit, ut resiccato bona ex parte humido, subarescere iam inceptent omnia, cum in corpore, tum in terra. His succedit virilis ætas, quæ & pro- uectior, primâque quodammodo senectus dici consuevit, Autumni faciem & typum præ se ferens: cum scilicet siccitas ita increfcit, ut exhalante maxima ex parte calido, ingruere iam occipiat vltimæ ac morbosæ senectutis hyems. Quæ calore destituta, & à frigido humefcente occupata, in putrilaginem tota vergit: irruente, qua data porta, excrementorum omni agmine: quod obfesso sicco, vltimâ frigori facit accessionē. qua ex re sequitur corruptio, & ex corruptione mors, rerumque omnium corporis internecio. V R A. Fœminæ simplicitati tua facilitas condonabit, Aesculapi, ut tuam patientiam rursus exerceam. Lunare corpus, aut, si vis, Lunæ facies, successuum vicissitudine per ætates mutatur: adeo, ut à natiuitate (sic falcatam illius apparitionem primam appellabo) ad plenilunium vsq; crescat, & vigorem habeat: iam inde, veluti tabescat, & in senium transeat. Cui rei in humano corpore quidnam simile

habes? *AE SC V.* Ipsum humanum corpus,
Vrania: nam ex quo in lucem prodiit, à nati-
 uitate ad vigorem usque, successionum vi-
 cissitudine quadam per aetates mutatur, incre-
 scit, ac augetur. Subinde verò, sensim tabe-
 scit, & ad corruptionem paulatim tendit, do-
 nec pro incrementi prioris proportione, dimi-
 nuto calore, decrescendo vniuersim dissolua-
 tur ac vanescat. Sed hæc quia trita esse scio,
 & tibi, *Vrania*, propriis tuis cælis notio-
 ra, verbum nõ amplius addo. Interim si quid
 habes reliqui, quod possis proponere, alacriter,
 vt hæctenus fecisti, expedi.

Humanū corp^o
 per certas æta-
 tes mutatur.

Dialogus vndecimus, de orbium cœ-
 lestium coaptatione, cum corpo-
 reis orbibus, & oculis.

V R A N I A.

DII, deæque omnes me bene ament,
 Aesculapi, si quid vnquam do-
 ctius, ingeniosus, & excogitatum
 accurati^o intellexi. Pauca mihi restât in meis
 cælis, quæ tibi deinceps proponam. Quibus, si
 pro solita tua dexteritate responderis, victa
 herbam porrigam: totâque in harmoniam hu-

H

mani corporis cum caelo facile descendam:
 atque tuo Galeno libentissimè in ea re subscri-
 bam. Itaque per tuum numen, perque auream
 istam barbam peto, & obsecro, ut relictis cœ-
 lestium corporum naturis (nam in his versa-
 tum satis) planetarum sphaeras, & eorundem
 lucentes globulos, de quibus hactenus, vel ni-
 hil, vel saltem paucis egimus, placidè, si pla-
 cet, aggrediamur. Hæ cum septem sint, & se-
 ptem lucentes orbiculos contineant, tam con-
 caua parte, quàm conuexa inuicem commu-
 nicantes, nimirum Saturni, Iouis, Martis, So-
 lis, Veneris, Mercurij & Lunæ, quid per te si-
 mile in humano corpore reperient? **AESC.**
 Oculum, Vrania, in quo hæc representari bi-
 fariam ostendo. Primum in tunicis ex quibus
 constituitur: deinde in circulis qui ex conua-
 tis septem fiunt: & in ea oculi parte conue-
 niunt, quæ Græcis ἰρις ἢ σφæρα, Latinis iris,
 & corona dicta est. Itaque, tunica prima, ex
 visorio neruo dilatato orta, et ἀμφιβελύς ποδ-
 ἰς nuncupata, hoc est retiformis (quod reti
 similis sit) Saturni orbem figurabit. Secunda
 huic connexa, & tenuissimis araneæ telis si-
 milis, unde Græcis ἀραχνώδης, Latinis arane-
 a dicitur, Iouis, qui Saturno contiguus est.
 Tertia ex eadè tenui exorta, χοροδῖς & se-

Septē cœlestiū
 planetarū sphae-
 rarū, septenos lu-
 cētēs orbiculos
 continent.

Septem huma-
 norum orbū,
 siue oculorum
 tunice lucentes
 orbiculos septē
 & circulos con-
 tinent.

cundina inscripta (quòd multorum vasorum sit vinculum, quale est $\chi\phi\epsilon\lambda\upsilon$ fœtus inuolucrum) Martis, qui Ioui itidem est proximus. Quarta ex præcedente nata, & Græcis $\gamma\alpha\gamma\alpha\delta\iota\varsigma$, Latinis *vnea*, seu acinosa vocata, quòd *vna* acino similis sit, in medio habens foramen, cui pupilla nomen, Solis orbem Martio confinem præ se feret. Quinta ex duriore cerebri membrana producta, & humorem vitreum cum crystallino de postica vestiēs, ac, ne disrumpatur firmās, & ob id $\sigma\kappa\lambda\eta\gamma\epsilon\delta\varsigma$ Græcis, Latinis dura nuncupata, Veneris orbem, qui Solarem sequitur ob oculos ponet. Sexta, ab hac, cui iuncta est nata, & $\kappa\epsilon\phi\alpha\tau\omicron\delta\iota\varsigma$, seu cornea dicta (quòd similis sit cornibus in tenues laminas præfectis) Mercurij orbē exprimet, qui Venero similiter est proximus. Septima ac vltima, quæ ex pericranio ducēs originem, $\epsilon\pi\iota\tau\epsilon\phi\upsilon\kappa\alpha\varsigma$, hoc est adnata appellatur, quòd aliis tunicis quæ oculum constituunt adnascatur (vnde coniunctiuam hodie nomināt) Lunæ orbem omnium postremum figuratè exhibebit. Atque hæc de tunicis. Iam verò quòd ad septem circulos attinget, ex connatis, vt diximus, factos: & in ea parte oculi vbi album nigro copulatur, conuenientes (qui septem planetarum circu-

lares orbes præ se ferunt) hæc à me in præsen-
 tiarum paucis accipies. Primus & extremus
 qui adnatæ est tunica, contrario quàm nunc
 nuper positum est modo, Luna orbem demon-
 strabit. Alter, qui est cornea, Mercurij. Ter-
 tius, qui est dura, Veneris. Quartus, qui est
 chorocidis, Solis. Quintus, qui est vnea, Mar-
 tis. Sextus, qui est arachnoeidis, Iouis. Septi-
 mus & Vltimus, qui est retiformis, Saturni.

V R A N. Hic, vt video, totam oculi ana-
 tomen paucis mihi perstringis, Aesculapi.
 Qua in re & ingenium tuum, & ipsius oculi
 aptationem ad meorum planetarum orbes,

Orbes planeta-
 rum septem, &
 stellati illorum
 globuli totidẽ
 extimo quodã
 orbe includun-
 tur.

Orbium huma-
 norũ tunica se-
 ptem, & circuli
 totidem extimo
 quodã orbe in-
 cluduntur.

laudo ac probo. Sed positi planetarum orbes
 septem, & eorundem stellati globuli totidem,
 octauo orbe, ceu extimo quodam corpore in-
 cluduntur & continentur. A E S C. Breuis
 est responsio, Vrania, & facilis admodum
 oppositio. Nam vniuersa hæc quæ modò tibi
 protuli, tunicas dico oculi omnes cum suis cir-
 culis, cranio, ceu extimo orbe quopiam inclu-
 duntur. Aut, si mauis, humanorum orbium
 (sic oculos appellant Grammatici) folliculi
 septem orbiculati, eorundemq; lucidissimi glo-
 buli totidem, cranio, ceu orbe quodam capa-
 ciorẽ, & superiore capiuntur, atque includun-
 tur. V R A. Ingeniosè sanè omnia, sed vni-

uerſi cœlorum orbes, motum habet ſenſui ma-
 niſteſſimum, qui motionem vltimæ ſphæ-
 per omnia ſequitur. Et ruruſum ſtellati eorun-
 dem globuli, alterum ab hoc diuerſum: de pro-
 pria ſingulorum natura. *AE S C.* Sic orbes

Orbiculi cœlo-
 rum ſtellati du-
 plicem habent
 motum ſenſui
 manifeſtum.

humanorum corporum, aut, ſi manus, oculi,
 Vrania, motum habent ſenſui manifeſtiſſi-
 mū: qui capitis, ceu vltimæ cuiuſpiam ſphæ-
 re motionem ſequitur: & ruruſum alterum ab
 hoc diuerſum, ſiue ſurſum, ſiue deorſum, ſiue
 ad latera, & canthorum alterutrum ille fiat,
 & deducatur. *VRAN.* Penè proponendo

Orbes humano
 rum corporum
 duplicem habet
 motū ſenſui ma-
 niſteſtum.

deſicio: dic verò, *Aeſculapi,* orbes cœlorum
 omnes, motu vniuerſali ſuper vno aliquo axe
 mouentur ac feruntur: cuius extremitas eſt in
 vltima ſphæra. *AE S C.* Orbes humanorum

Orbes cœlorū
 ſuper vno axe
 mouentur.

corporum, ſiue oculi, Vrania, motu vniuerſa-
 li ſuper vno aliquo axe, nimirum ſuper doſſi
 ſpina feruntur ac mouentur. Cuius extremitas
 eſt in cranio, & capite, ceu orbe vltimo: cui
 cum toto ſpinali axe, præ baſi pedes duo, cum
 ſuis adminiculis ſubſternuntur: quemadmo-
 dum de ipſo Sceletono patet: & ex offei cada-
 ueris anatome paſſim demonſtrari ſolet.

Orbes corporū
 ſuper vno axe
 mouentur.

VRAN. Tam attonitam me reddit diuina
 & ſingularis tua eruditio, vt quid deinceps
 tibi proponam, non habeam. Erit itaque hoc

Cœlum finem *postremum. Cœlum cum suis partibus omni-*
 habebit ac in- *bus, iuxta Christianam philosophiam, finem*
 teritum. *aliquando est habiturū. A E S C. Simili mo-*

Humanū cor- *do humanum corpus cum suis partibus, Vra-*
 pus finem habe- *nia, finem est habiturum: imò Verò quotidie*
 bit ac interitum *habet: à quo excludo animam, quæ Acade-*
miciis (qui à meo Hippocrate fluxerunt) Verè
est immortalis: vt interim Christianam phi-
losofiam taceam, quæ tota in id est, contra
Peripateticos & Epicureos. V R A. Hacten-
us ego & querendo, & proponēdo tibi one-
rosa fui, & fortasse molesta, Aesculapi. Tu
contrà, respondendo & opponendo, nec non
docendo, mihi sanèquam gratus. Habeo itaq;
pro doctissimis tuis demonstrationibus, pro
ingēti labore, & eximia eruditione, gratiam
quamplurimam: nescio quādo relatura. Atq;

Cōclusio totius *cum nihil ampliùs habeam quod proponam,*
 colloquij. *tibi in hoc colloquio volens & libens cedo:*
Verissimūmq; esse constanter prædico, quod
antea ignorabam: nempe humanum corpus
miram cum coelis & illorum rebus harmo-
niam agnoscere. Id quod à prima hominis for-
matione, per medias eius ætates, & corporis
res omnes excurrēdo, mihi diligenter mōstra-
uisti, doctè exposuisti, & accuratè enodavi-
sti. Nihil itaque hîc superesse video, nisi vt

concludam in microcosmo, id est, in homine,
 macrocosmum, hoc est cælum, inesse: & con-
 trari: ipsumq; humanum corpus magnum cum
 cælo commercium, & harmoniam mirè ad-
 mirabilem habere. Præterea conditoris sapien-
 tiam, virtutem, ac providentiam in utroque
 equalè relucere. Quod ex tuo Galeno, philoso-
 pho, astronomo & medico incomparabili, no-
 strorum colloquiorum initio, ceu thema vetus
 & difficile mihi demonstrandum, proban-
 dūmq; tibi proposuerā. Nunc demum restat,
 ut clauso præsentī dialogismo, quæ nobis à Io-
 ne avo tuo, ac reliquis immortalibus diis im-
 perata sunt & mandata, sedulò exequamur.
 Nam in orbem terrarum, ut video, iamiam
 descendimus. In quo observare incipio, quæ
 Mercurius patruus tuus publico deorum con-
 silio nuper exposuit. *AE S C.* Sic est, *Vrania:*
 quare partes tuas diligenter age: ego meis ac-
 curatè inuigilabo. Sed heus tu? fac (obsecro)
 ut exacto negotio cælestes domos unâ repe-
 tamus. *V R A N.* Fiet, *Aesculapi:* bene vale.
AE S C. Tu quoque, *Vrania,* in proximum
 reditum tuum, & nouum colloquium.

FINIS HARMONIÆ COELESTIVM
 corporum & humanorum: autore Antonio
 Mizaldo Monluciano,

IOANNES PERRELLVS
Doct̃or medicus Lutetiæ, ad ANTONIVM
MIZALDVM, cœlorum & huma-
norum corporum conciliatorem,
doctum atque inge-
niosum.

Debet homo (MIZALDE) tibi: debet quoq; cœlum:
Quod cunctis aperis quidquid vtrunq; gerit.
Esse doces corpus cœlorum schema; probasq;
Cœlos præclarum corporis esse typum.
O mirum artificem! quantum patet vndiq; cœlum,
Sola hominis claudis mole perexigua.
In nuce concludam magni miratur Homeri
Iliadem, nugis Græcia nota tuis.
Miretur potius cœlos in corpore paruo,
Te solo & docto claudier artifice.
Quod quis tentavit veterum? quis, quæso, Galenus?
Ptolæus? summi sint licet vsq; viri.
Hinc eris æternis celebrer post funera lustris:
Donec erunt homines, sidera donec erunt.

Ἐν πόντῳ τὸ ἡλεός.